GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [1] - -

Leibn. Marg.

0, 1

Randnoten von Leibniz

KM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [2] - -

CHRISTOPHORI BESOLDI, I. C.

DISSERTATIONUM NOMICOPOLITICARUM

Libri III.

VBI DE SVCCESSIONE
QUÆ REGNI FIT JURE; ET
Electione Regiâ, differitur potissimùm.

EDITIO SECUNDA:

CUI JAM MODO DE EADEM MATERIA, AUCTORIS ejusdem Disputatio singularis est subjuncta: enumerationem præcipuè continens, in antecedentibus libris præteritorum.

TUBINGÆ,
Typis Iohan-Alexandri Cellii,
ANNO M. DC. XVI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [3] - -

Danijel. 5. vers. 18.

DEus excelsus, Regnum & amplitudinem, gloriam q́, & decorem dederat Nebucadnetzari: sed cùm elatum esset Cor ejus, & Spiritus ipsius obduratus esset ad superbè agendum; depositus est de solio Regni sui, & gloriam amoverunt ab eo. Nam à filiis hominum depulsus, Cor suum ad bestias applicuit, & cum onagris habitationem suam: donec agnovit;

Dominari DEUM excelsum in Regno hominum, & quem vult constituere in eo.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

AD LECTOREM MEVM,

Cui Salus.

NOn ingenI ullâ oſten-
tatione, nec quòd id maxumè è re prudentiori litteraturæ addictorum eſſe cenſeam, in hujus argumenti nunc verſor tractatione; ab aliis ſparſim & jam multoties in Famæ Scenam producti. Sed quia de Succeſſione quæ Regni fit jure, & Regiâ Electione, qualia qualia hæc meditamenta, ante biennium & quod excurrit, in publico Francofurtenſium Nundinarum Catalogo, neſcio quo calore ſpoſpondi; promiſſo ac recepto, nunc vel tandem ſatisfieri conveniebat.

Et inſuper Syſtematis mei Politici (quod in quinque partes tributum, publicè & in privato etiam Collegio, à Nobilibus & perquàm eruditis quibuſdam Studioſis ac Candidatis Legum,

me Præside nuper disputatum fuit) novam & uberiorem; nonnullorum invitationibus adductus, cùm per tempora hæc adornem Editionem*: particulâ hanc Operis totius (& quę materiæ quoque propter amplitudinem, Systematis angustiâ coërceri renuebat) præmittere; eâque vadum fluctuantium ac turbidorum hujus Seculi Iudiciorum tentare, & Faventiæ tuæ auram experiri priùs volui, Lector candide. Quæ si mihi bonam & certam præsagiet tempestatem; Ego ad conficiendum cursum longiorem, malum erigam, & parabo vela, animo fidenti. V. *P. Tubingæ. 1. Februar.*

MDCXIV.

* Quæ jam sub titulo *Collegii Politici*, extat.

I.

Disputationum de Succes-
sione & Electione Regiâ,
Prodromus:
QUI CERTAMEN PRÆROGATIVAE, QUOD ELECTIONI CUM *Successione est, decernit.*

MONARCHICUM QUEMADMODÙM Imperium, in *Dominatum* & *Principatum*, Juris Imperii dividitur respectu: ita rursùm, Potestatis adipiscendæ ratione, idem Imperium aut *Successorium* est, aut *Electivum*. uterque enim, tam Dominus scilicet quàm Rex; vel Nascitur vel Eligitur. Natura equidem mortalium, avida cùm sit Imperii, & locum Principem affectent plures, nec Boni ipsi nec bono fine: sapienter eos reprimit, & velut caput Regiæ hujus viæ, Lex Gentium repagulo duplici munit; Electionis & Successionis. *Just. Lipsi. 2. polit. 4.* 1.

Monarchiæ constitutionem, Politici aliàs, Ordinariam faciunt, vel Extraordinariam. *Barthol. Keckerman. 1. polit. 4. fol. 110. & 122. Phil. Hænon. Disput. polit. 9. θ. 22. Ordinaria* illis est, per Electionem quæ fit, vel Successionem. *Extraordinariam* vocant: (1) Armis quando Populus aliquis subigitur; (2) vel cùm jure Dotis, aut ex Pacto & Fœderis jure, aut verò Emptione, Donatione, Cessione, Permutatione, &c. Imperium alicui obvenit. At nos Regni acquisitionem violentam, à Reipublicæ constitutione separandam esse, docemus alibi: *Disput. Polit. 1. θ. 33. ad fin. Class. 1. addatur Arnisæ. select. polit. libr. 2. cap. 2. section. 6.* & quæ Dotis, vel titulo simili alio Imperia comparantur, ad Regna Successoria referri commodissimè possunt. 2.

Electio dicitur, cùm spreto Natalium jure, vocibus & scitis designatur Princeps. *Successio* adpellatur, cùm Prin- 3.

ceps ex Principe naſcitur, vel libero morientis ſubſtituitur arbitratu.

4. Enimverò optandumné magis ſit, per Suffragationem ut aſcendat ad Imperium Monarcha, an jure Succeſſionis accipere eundem, Subditis ac Reipubl. magis expediat? diù varieque à variis diſcuſſa, nondum deciſa eſt quæſtio. Eberartus à Weihe (qui Proteus in nomine, nunc Durus di Paſcolo, nunc Waremundus eſt de Erenberg) ſcripto peculiari eruditiſſimo, hâc de controverſiâ anquirit operosè. ac eandem diſputationibus hûc & illûc trahunt paſſim alii: Marſil. Patavinus *in defenſ. pacis. 1. c. 9. & 16.* Bodinus *6. d. Rep. c. 5. & meth. hiſt. c. 6.* Petr. Gregor. Tholoſ. *7. d. Rep. 4. n. 10.* Lipſius *2. polit. 4. & monit. pol. 2. c. 3. & 4.* Læl. Zecchius *1. pol. 3. n. 1. & 2.* Paul. Buſius, *Diſput. Polit. 15. θ. 26.* Reinhard. Kœnig, *Diſput. hâc de quæſt. ſing. quæ eſt in Politicis Goldaſti, part. 14. fol. 653.* Pietro Andr. Canonhiero, *del introduz. alla polit. 8. c. 1.* Joach. Stephan. *1. d. Juriſdict. 1. nu. 25. &c.* Henning. Arniſæ. *omnium latiſſimè, lib. 2. Polit. relect. c. 2. ſect. 4.* Herm. Kirchner. *orat. 11. ac ſeq. & Diſp. d. Rep. 4. θ. 2. lit. a.* Joachimus Cluten, amicus meus, *paradox. ult.* Barthol. Keckerm. *1. ſyſtem. pol. 4. fol. 110. &c.* Georg. Schönborner. *2. pol. 9.* Joh. Crugerius, *in Colleg. Polit. Diſp 4. θ. 46.* Henr. Velſten. *cent. quæſt. polit. dec. 7. θ. 9.* Clemens Timpler. *polit. 2. cap. 2. quæſt. 2.* Jac. Alemannus, *in palæſtrâ conſultationum, cap. 4.*

Nobis ante omnia partis utriuſque, argumentorum robore acies inſtructiſſimas, lubet luſtrare.

5. Qui conditionem illius Regni cui Rex naſcitur, meliorem, pacatiorem & digniorem eſſe volunt, ejus cui eligitur; ita ratiocinantur.

I. Annoſior quemadmodùm arbos ex radice pullulat, & rancido qui ſubnaſcitur trunco ſurculus, jam vires accipit, effœti & ſenio confecti ante ruinam: Succeſſionis non ſecus tramite, in perpetuitate Imperium conſiſtit, & diſcrimen prævortitur Interregni. Quod ipſum Anarchiam habet ſine cujuſquàm

quàm dominatu; & hebdomadas, menſes, annos quandoque manet: ac quæ fuerit ſæpiùs tali in ſtatu tempeſtas, nemo niſi qui hiſtorias, poteſt neſcire. *Matth. Wehner. in metamorph. Rerump. cap. 22.* Pontifice mortuo carceres effringi, necari cuſtodes, ſontes Judicibus eximi, omnia Divina humana miſceri, quoad Collegium Cardinalium ſuffragiis concordibus Succeſſorem renunciârit; parricidia quandoque in occaſum Pontificis Max. ſolere differri, ac ficariis tunc tutò lacrocinari licere, teſtificatur Bodinus. *6. d. Rep. 5. nu. 718. ad fin.* Quàm magnæ confuſiones, quot inſignes mutationes, in Interregni ſimul inciderint tempus, quod Rodolphi I. Imperium præceſſit; & ob funeſtas diſſidiorum furias, nullum penè tunc fuiſſe angulum uſpiám tranquillum, in Chronico ſuo, *lib. 5.* exponit Caſp. Peucerus, lateque perſequitur Chriſtophorus Lehman / in der Speiriſchen Chronick. *lib. 5. cap. 95.* & Carolus Sigonius *de Regno Italiæ, ad finem.*

Moderatorem ſi quis Comitiorum, ac Regni hoc interim ſpatio fieri poſſe procuratorem ſupponat;

avius à verâ longè ratione recedit.

Sed enim non minor aliquando ſuboritur difficultas, in Regni ordinandâ procuratione, quàm Rege creando ipſomet.

II. Lege ſi Succeſſionis certus eſt Rex, turbis præſtò eſt obſtaculum quàm plurimis: cùm alioquin novis & magnis conatibus, opportuni ſint tranſitus rerum. Hîc non ſtudia partium, & metus ſeditionis propter competitores; nec inter illos qui quærunt Principem, diſſidii ſubeſt timor. non hîc multi inter ſe digladiantur Candidati de uno Brabio, & Regni ſemper periculo peccatur ubicunque. Undè multi Populi, quos anteà Electio turbârat; ad Succeſſionem, tanquàm ad Sacram quod ajunt Anchoram confugerunt. In Suecia, Rege Stinckel defuncto, duobus Hericis certantibus de Regno, omnes Suedorum potentes in Bello occubuiſſe feruntur: *M. Adamus in hiſt. Eccleſiaſt. c. 170.* nec inibi triſtiſſimi ceſſaverunt motus; uſque dum Regnum illud Succeſſorium fuit factum. *v. Diſput. maem hiſce diſſertationib. ſubnexam, §. 3. in fundam. à pr.* III. Prin-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [9] - 3

III. Principis ſeligendi ratio, planè inexplicabilis eſt. Non ab univerſo, majorevé parte Populi fit rectè: cùm is, ut Libertate prudenter utineſcit; ita nec in Electione ſe ſat circumſpectè gerere queat. Et cui non tutiùs videatur, Naturæ benignitati, paucorum quàm Optimatum factioni, rem tanti concredere momenti. cùm præſertim, quâ in Familiâ laus aliqua fortè floruerit, eam ferè qui ejus ſunt ſtirpis cupidiſſimè perſequantur.

IV. Rara eſt Electio quæ ſine privato cujuſque affectu aut reſpectu fiat: res ſæpiuſculè geritur promiſſis doniſque, vel illicitis certatur artibus aliis. De eo ſubſtituendo Imperatore, qui optimè & ex uſu publico regnet, nulli ferè cogitatio eſt vel cura. Quam in rem teſtimonio nobis eſſe poſſunt *Conclavia* Romana; factionibus, rixis, ambitioſis ſtudiis, prenſationibus, ſubdoliſque machinationibus mirabiliter referta. *v. Theſauri Polit. part. 1. Relat. di Roma. fol. mihi 46. & multis ſeqq.*

V. Quoque Electioni etiam non improvidæ, nec niſi ad ſalutem publicam reſpectum habenti, ex facili objcitur error: frequentiùs quia falſa eſt de regnaturo opinio; & demùm

ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν,
Imperia demonſtrant Virum.

Quod de filio ſuo Terentianus memorat Senex: *Andr. A. 1. Sc. 1.*

Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum ætas, metus, magiſter prohibebant?

tàm pariter ego dixerim de eo, qui Legibus ſolvitur omnibus, quibus anteà tenebatur ſingulis; qui liberè nunc imperat, antè cùm invitus obedire cogebatur.

Multi per ambitionem ſe probos ſimulant, terramque demiſſo vultu adſpiciunt humiles, & pro dominatione conſequendâ, omnia ſerviliter agunt; qui Clave, quam priùs quęſiverant repertâ, altiùs paullò cornua ſunt ſublaturi: *ex Eraſm. Ebnero, Melander lib. 1. Jocoſer. n. 254.* & perſonam capient Agamemnonis; cui apud Euripidem, *in Iphigen.* objicit frater,

Scis

Scis quando cupiebas præfici Græcis ad Ilium,
Specie quidem non volens; voluntate verò cupiens.
Quàm eras humilis, omnem dextram prehensans,
Et habens fores patentes cuilibet popularium,
Et dans alloquium ordine omnibus, etiamsi quis non velebat;
Moribus quærens Imperium à vulgo redimere.
Deinde postquàm potitus es Imperio, mutans mores,
Amicis non amplius fuisti sicut antè amicus;
Difficilis aditu, & rarus intra claustra.

Nemo arte eâdem Imperium quâ petit, gerit. *Sallust. Jugurth. cap. 85.* Ex maximè raro hominum genere judicare debemus Vespasianum; in quo asseverante Plinio, *Præfat. Nat. hist.* nil quicquàm mutavit fortunę amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posset, & vellet. Pauciſſimi Antigonum imitantur: qui mirantibus omnibus, quòd cùm jam senectutem attigisset, benignè humaneque imperaret; olim se potentiam quæsiviſſe, nunc gloriam & benevolentiam captare, respondit. *Plutarch. Apophth.* Omnes ferè in peius ruunt Principes, & Imperium quærunt primùm gloriosè, pòst cum jacturâ famæ exequuntur & impotenter: status oblivisCuntur in quo acceperunt Regnum; imò certè propter quem, & per quem. Adeò nunquàm non Honores mutant mores; & (ut rectè vulgò adjectum) rarò in meliores.

Sunt etiam qui ab omnibus Principatui pares judicati, cùm ad res gerendas tanquam ad ignem ventũ est, instar adulterini numismatis, expectationi hominum de se non respondent. Nimirum ut inter vacua vasa non facilè discernas, quod eorum sit integrum, quod vitiosum; ubi verò aliquid infuderis, statim apparet, quod rimosum sit & perfluat: ita animæ hominum, stultitiæ rimis fathiscentes, infusam potentiam non continent, sed foràs diffluunt ineptiis & cæterâ vitiorum conflage.

Quod Galbæ olim evenit, qui omnium conſenſu capax Imperii niſi imperaſſet, & major privato viſus dum privatus fuit; *Tacit.* 1. *hiſtor.* id multis accidit aliis, qui in bonâ ſpe, adepti denique Imperium, eo ſe oſtendunt minores. De Iſacio, Nicetas Choniates: *Ipſe verò* Imperator, cùm optimè gubernationis curſum inſtituiſſet, inſtar ignavi curſoris, non procul ab ipſis carceribus deſtitit. Neque enim multos virtutis abſolvit circulos, ſed veluti fatigatus & enervatus, à contentione honeſti inſtituti remiſit plurimùm.

VI. Civem aliumve optare alium non Principem, res eſt præterea invidentiæ plena, & à ratione prudentiaq́; vacua. Sæpè optimus ſervus, dominus fit peſſimus. Eorum quò magis deſpicatui eſt Imperium, eò plus nimio ii ſe efferunt plerunque, & regnant crudelius, Regali quàm prognati ſanguine; ocyuſque vi convelluntur inaſſuetæ dominationis. *v. Phil. Camerar. medit. hiſt. cent.* 2. *cap.* 52.

Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet; deſævit in omnes,
Ut ſe poſſe putet.

VII. Extrariorum potius quàm civium, quàm æqualium expetere Imperium, cum contumeliâ junctum eſt incolarum, & libertatis periclitatione publicæ. Quam propter rationem, Vononem, obſidem Auguſto datum à Phrahate, petitum Româ cum lætitiaque ab initio acceptum Regem, quamvis gentis Arſacidarum, ut externum aſpernabantur olim Parthi. Mox ſubit pudor (ait Tacitus, 2. *annal. à princ.*) degeneraviſſe Parthos; petitum alio ex orbe Regem, hoſtium artibus infectum. Peregrinus, linguam, mores, ſtatuta, vires, limites neſcit: excontrario populum ſub Imperium ſubditum, peregrino more modoque vivere, alienam ſectarier Religionem, officiales obſervare foraneos, aut aſſuefaciet, aut certè coget. Is ipſe Regnum ſi habet peculiare; vel ex duobus efficiet unum: vel illud curâ com-

complectetur unicè, novum & alienum mandabit Legatis: aut si liceat neutrum, auffugiendi capiet consilium. quod ut credamus, Henrici Valesii Polonorum Regis adducimur exemplo.

VIII. Suffragio sumptus Princeps, Regnum quod ipsi est, sic tanquàm res aliena, frequenter negligit commissum: Naturæ quia ita communissimo ferente vitio, homines non æquè ac domum suam privatam, rem adamant publicam. At filius ab ipsis incunabulis destinatus Regno, eius simul combibit amorem dum tener est. Regnum ei domus, Dii penates, aræ, focique; Regni proceres & subditos sibimet domesticos ac sanguine reputabit agnatos. Pater verò qui Imperium ad alienos nunquam possessores deventurum certus est; vel succedentium filiorum causâ, tum præsentia status naufragia, tum & futura incendia magis avertet sollicitè. Quis namque mortalium, ignoto & sæpius ingrato successori, tam amicè quàm suis in possessione provideret Regia?

IX. Omnia cum parentes liberis ex voto parent; quod Tryphoninus respondet J.C. *l. nihil interest. 50. §. 2. de bon. libert.* Electione proinde vocatus Rex, animo & consilio si valet, uni sibi concreditum Regnum relinquet posteris, in Successivumque ut commutetur curabit. Accommodè Peripateticorum Princeps. *3. polit.* 11. Pater cùm habeat omnia in sua potestate, Regnum filiis non tradet? At cum hoc difficile sit, & majoris quàm quæ cadat in Naturam humanam virtutis, probabile non est. Et sanè constat, Carolum V. Principem aliàs optimum, Germanico bello feliciter confecto, jam non amplius de Cæsareâ dignitate fratri secundum Imperii Leges relinquendâ, sed filio iure hereditario attribuendâ, cogitare cepisse. *Thuanus. 5. fol. 101.* Lazarus Schwendi/ Von Regierung deß Römischen Reichs, *num. 22.*

X. De successione qui suis stabiliendâ desperant, suffragiorum coëmptione in stirpem propagare; nec rarenter parte aliquâ ipsius Regni insigniori, posteris comparare nituntur Imperium. Ita Carolus IV. Wenceslaum, ex filiis suis natu majorem, sibi in Imperio successorem, vitâ adhuc manente, ordinare satagens, cùm Principes Electores haud facilè ad eam rem trahere posset; quod virtute obtinere nequivit, pretio paravit, promissis cuique Electori centum aureorum millibus. Fidem verò aliter præstare cùm nequiret; publica illis Romanæ Reip. vectigalia obligavit: perpetuo Imperii malo. Hinc etenim Romanam potentiam ad nihilum redactam, nec posthac attollere caput Imperium potuisse; testimonio est Æneas Sylvius, *hist. Bohem. cap. 33.* & in Fasciculo temporum, *sub A. 1354.* Werner. Rolewink.

XI. Sin nec vota sunt venalia, liberis (privatâ jam utpote conditione, Patris propter dignitatem superioribus) vel agnatis item cognatisque, non sine incommodatione publicâ, Princeps electus prospiciet aliter: ita ut Regnum Electione quod defertur, Regiæ quibuscunque illuxit unquàm dignitatis splendor, locupletare fortunis necesse habeat familias. Ipsum Sacrosanctum Divi Petri (quod vocant) patrimonium, hæc mala est cum sentit, in Pontificibus Romanis: quibus solemne est, omnes qui eorum agnatione tenentur & gente, divitiis opibusque augendo, Ærarium evacuare Ecclesiæ. Non enim in alio quoquàm magis laborasse Pontifices, quàm ut Cognatos suos Principes post se relinquerent, refert in Historia Florent. *lib. 1.* Nic. Machiavellus. Et testatum hoc facere potest, vel unicus Paulus III. qui moriens, subinde illud ex Psalmo ingeminavit: si mei non fuissent dominati, nunc immaculatus essem, & emundarer à delicto maximo. *Thuan. libr. 6. fol. 119.* Usu idem cognoscunt in Germaniâ crebrò Episcopatus: finitimis qui aliorum Magnatum provinciis, haud magis florentes, divitiores, & lau-

& laudandâ gubernatione sunt beatiores; Electione quamvis transeant in Successores, multiplici Legum vinculo adstrictâ.

XII. Porrò Fundamentum quia Reipub. nullum firmius est, obsequio subditorum erga Principem; Optivo proindè vel hoc nomine multò præstabilius videtur Successorium Regnū: illo quòd adstrictioris Imperii & reverentiæ aut obedientiæ promptioris existit. Et ideo perfectæ ac absolutæ magis quadrare judicatur Monarchiæ: utpote cujus proprium maxumè est, perpetuum ut unius quasi Principis sit regimen; ad rationem universi tendens, ubi semper unus permanet intransmutabiliter. Ad quã perennitatem Successionis ordo accedit quàm proxumè: dum Imperium unius familiæ continuatâ heredum nectitur serie; ut altero propediem priori succedente, vix unquam obitus sentiatur Principis. Sicque verâ cum gloriâ, de Successione prædicari potest id, quod Anglis olim post mortem Henrici 2. referente Matth. Paride, *in hist. majore, pag. 147.* dedit solatium:

Mira canam, Sol occubuit, Nox nulla sequuta est.

Etiam nescio quo latenti ductu, facilius obtemperat populus ex consuetâ familiâ nato Domino: animoque æquiore ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit; quàm quem malè elegit populus.

XIII. Nec in hereditariis solùm Imperiis, & alicui quæ familiæ parére didicerunt, Principi plus juris & obtemperationis; sed & in imperandi ideo ratione, minus multò erit difficultatis: Is majorum suorum si saltem insistat vestigiis. Testem produco sat locupletem Nic. Machiavellum. Qui, *Principalis Institutionis c. 2. & lib. 3. Disp. d. Rep. 5.* Imperia hereditariò obvenientia, non tam multum habere laboris ac asperitatis, ait, quàm ea quæ recenter acquisita sunt. Sufficere enim inibi, si Princeps majorum suorum non transgrediatur instituta; deinde tempori ad rerum novos casus inserviat. Ut sic Princeps

hujuſmodi, communi tantummodò & vulgari præditus in agendo induſtriâ, ſemper in Principatu ſe conſervare queat. Etenim qui Naturâ eſt Princeps, minus cauſæ ac neceſſitatis habere ut lædat; quo fieri, ut etiam plus ametur. Ac niſi extraordinariis & prævalidis vitiis in odium offenſionemque incurrat: merito naturali quodam jure à ſuis diligi; & in ipsâ vetuſtate cohærentis & continuati dominatus, obrutam jacere omnium mutationum memoriam, converſionumque cauſſas.

XIV. Hinc pariter per Succeſſionis viam, ſecurior eſt ipſa Principis vita; & per eam Regnum. Quippe patrem quis occideret, cujus filius regnaturus eſt? Et inde Veſpaſianus aſſiduas in ſe ſprevit conjurationes, quia de filiorum certus fuit Imperio. *Sueton. in vitâ c. ult.* Econtrà etiam vivente Principe, qui Electione in Regnum acceſſit, de ejus conſuletur Succeſſore; ſtruuntur inſidiæ, ut occupandi detur locus, factiones, conjurationes oriuntur, texuntur calumniæ; aliæque conquiruntur cauſſæ deſtitutionis in eo, injuriæ qui ſuæ ultorem non relinquit potentem. Ipſimet Sacrorum Pontifices, quos malum hoc omnium minimè pertingere deberet, non eâ vacant incommodatione. Hi quamvis ferè jam ætate confecti, ſuper pinnas ſtatuantur Templi Catholico-Romani; non tamen toleranter Cardinalium ambitio, eorundem præſtolatur deceſſum; ſed veneficiis identidem illos loco moveri contritum eſt. Indeque ſuffragio ad Imperium evecti, æmulos ut deſtruant; non rarò coguntur incitare animos populi ad ſeditionem, largitione cæcare mentes imperitorum, fortes & præclaros viros ac benè de Rep. meritos in malevolentiam vocare, vel carceri per Oſtraciſmum mancipare, aliiſque mediis ſeſe tueri ſubdolis.

XV. Itidem per Succeſſionē ſecurus eſt magis ipſe Status, mageque perennis Imperi Majeſtas: abſolutum nullibi perdiutinè Imperium durat, Electio ubi ſollemnis eſt & trita. Inibi ferè ſo-

rè ſolent Politicam quandam adhibere fallaciam ſubditi, ad Imperium ut non admittant, certis niſi legibus conſtrictum; quas non facilè aſpernaturus eſt is, præter Electionem Regnandi qui nullum jus habet. Sicque ſenſim particula Majeſtatis una poſt aliam, quâlibet propè in Electione decerpitur; tota tandem donec præcidatur, & vel Mixtum, aut Ariſtocraticum evadat & conſletur Imperium. pro ut id in Lacedæmoniorum, Germanorum, Polonorum, Danorumque cernere licet Rebuſpublicis; & amplius illuſtrat eruditiſſimus Arniſæus. *2. polit. 3. fol. 456. & ſeq.*

XVI. Conſuetudine gentium receptior eſt Succeſſio; & pro uno Electionis exemplo, centena ſunt Succeſſionis. A ſtirpe olim quæſiverunt Regem Aſſyrii, Medi, Perſæ, Macedones, Ægyptii, Parthi, Armenii: & etiam nunc regnandi ſpes; in ſubſecuturâ dominorum ſobole relicta eſt Turcis, Moſcovitis, Æthiopibus, Afris, Hiſpanis, Francis, Anglis, Scotis: ac communi fermè omnium Populorum jure, non ſolùm Nobilitas ac Feuda; ſed & dignitas ſucceſſoria eſt omnis, Ducatus, Marchionatus, Comitatuſque ad heredes perveniunt.

XVII. Lege tandem Divinâ approbatur in Regnis Succeſſio; piiſque Regibus, continuatum in filiis fore Imperium, ſupremus pollicetur Dominus. *Deutr. 17. v. penult.* Ac excitari, gubernari, protegi divinitùs Imperioſas familias, quæque in Imperiis rerum potiuntur, inficiari niſi extremè impius auſit nemo: & exequitur Rein. Reinecc. *hiſt. Jul. tom. 1. proleg. cap. 3.*

At verò pro Electione gnaviter pugnant. 6.

I. Veneranda vetuſtatis laudatiſſima cõſuetudo & exemplum: quodque Electio Succeſſione prior fuit; & Heroicis illis temporibus vix aliter factum. Nam cum primi illi Heroes, populum magnis beneficiis & meritis affeciſſent, aut inventione artium, aut bellicâ virtute, aut conciliatâ hominum inter ſe com-

communione & ſocietate, aut augendis & amplificandis finibus; hi Reges lubenti & gratâ civium ſententiâ creabantur: ac tandem velut hereditario & patrio jure continuabantur. ſ. Πολ. 10. & 5. cap. 10.

II. Principatus in Populo non ſanguini debetur, ſed vitæ: *can. Moyſes. c. 8. quæſt. 1.* ac inutiliter regnat, Rex qui naſcitur & non meretur. Optimo ideò, digniſſimo cuique tribui debet Imperium: qualem Electio cooptandique invenit judicium integrum;

——— quem mutua virtus
Legit, ———
Judicio pulchram ſeriem non ſanguine ducens.

Naſci & generari à Principibus fortuitum; nec ultrà æſtimatur: flagitioſos & hebetes, ac qualeſcunque nati ſint, gubernacula Reip. tractare; id verò abſonum omninò eſt & abſurdum. Si navigiolo ſuo gubernatorem præficere volens, minimè eum ſibi conducendum judicaverit; qui licèt ſe nautæ alicujus celebris filium aut cognatum jactet; nondum tamen ventos didicerit, nondum ſyrtes ac fretorum explorârit ſcopulos, nondum ad ſyderitem clavum convertere edoctus fuerit: ſummæ an tu poteſtatis heredem, tantùm in unâ domo quæras, non per totam civitatem circumferas oculos; ac ſi qua fortè præclara extiterit & probata familia, an tu ex eâ potius ætate ſuperiorem, quàm virtute inſigniorem, quàm optimum, & Deo quem ſimillimum inveneris, & cujus naturâ, in Regnum antequàm introducatur optimè perſpectam cognitamque habes, elegeris? Hincque Antigonus ſecundus, adoleſcenti qui non admodum bonus videbatur miles, natus tamen erat patre viro forti, ſtipendium paternum poſtulanti; ego, inquit, mi adoleſcens, mercedem & munera dare propriæ, non paternæ virtutis causâ dignis ſoleo. *Plutarch. apophth.*

Quam etiam propter rationem, in feudis dignitatum, ſucceſſio-

ceſſionem contra rationabilem eſſe uſum; juris noſtri feudalis fatentur auctores: *Lib. 1. Feud. tit. 13. de alienat. F. ad fin.* Et palmam accipit ab Ariſtotele Electio. *2. Πολ. 9. & 3. c. 11.*

III. Campum eadem aperit, in quo excurrere cognoſciqúe poſſit virtus. Ad quam multi adſpirarent, Principatus ſi ſpes, tanquàm opimius præmium, communis foret omnibus virtute præditis; ſi quod Lyſander apud Plutarchum urget, non ab Hercule genus ducentes, ſed virtutem Herculis (quâ is Divinos honores invenit) imitantes, Regiæ dignitatis afficerentur honore.

IV. Mediante Electione ad Regnum perveniendi viam, ipſe nobis præſcribit ac munit Naturæ curſus: in Heroicis familiis, ad Imperij tuendam dignitatem quæ requiruntur inſignia dona non continuans, & ex macellario, ut eſt in Proverbio, Herculem nonnunquam progignens; eoque nos inprimis edocens, natalium ne incerto eventu, quemcumque & cujuſcunque conditionis naſci contigerit, ad Regnum adſcendere ſinamus.

——*Virtus*
haut ſata ſtirpe venit.——
Aequat rara patrem ſoboles, ſed plurimi ab illis
degenerant; pauci ſuperant probitate parentem.

Quin & quaſi Fato quodam, neminem propè Magnorum virorum, optimum & utilem filium reliquiſſe, reputat Spartianus. *in Severo.*

Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα.
Heroum Filij noxæ.

Ejuſque rei cauſſas prudenter indagat, poſt Davidem Chytræ. Digniſſimus noſtræ Academiæ Cancellarius, Dn. D. Andr. Oſiander, *in not. ad c. 9. Judic. & vid. eund. diſp. ad form. Concord. 13. θ. 18.* Greg. Richterus *axiom. œconom. 14.* Eſtienne Paſquier. *2. epiſt. pag. 64.* Familiarum & Liberorum felicem

ſtatum, rariſſimè ultra trinepotes durare, opinatur Peucerus *de divinat. gener. fol. 35.* Quo diuturnior familia, eò peior eſt; quod & innuit poëta graviſſimus Nathan Chytræus; ubi canit:

——— ſi gens eſt ampla vetuſque,
Multa etiam ſcelera & clades ſectantur eandem.
——— Regnant cædes, occulta venena,
Inſidiæ, ac ſtupra. ———

Sed eorum quæ dubia, rationes ſunt afferendæ; horum quæ conſtant exempla ponemus. Primus ex fœmina natus homo, degeneravit à patre. Cham patri fuit diſſimillimus. Iſaaco primogenitus Eſau. Filij Jacob fuerunt mali, & aliqui ex ipſorum numero peſſimi. Magna fuit filiorum Eli impietas. Samuelis liberi non inſiſtebant patris veſtigiis. Tales erant & Davidis filii, Ammon, Abſolon, Adonias. Roboam patris ſapientiſſimi ſtultiſſimus fuit filius. Uſu compertum eſt, Romano Imperio non feliciter evenire ſucceſſionem filiorum, ut ſcribit Crantzius *2. Sueciæ, 32.* Unus Veſpaſianus Titum filium, virtutis ſuæ imitatorem habuit: mox Domitianus deflexit. Marcus Antoninus nullum unquam Reip. tulit incommodum, niſi quòd Commodum filium reliquit. Severus Caracallam fratricidam, poſt ſe in Imperio habuit: quem tamen omnibus rebus ad animi corporiſque virtutem pertinentibus, excoluit ſtudioſiſſimè. ut memoriæ prodidit Suidas.

V. Sicque præterea Electivi Regni Princeps nunquam puer eſt: cum aliâs ferè nihil æquè Reip. in metu ponendum ſit, ætas ac Regis infirma.

——— Tenero tractari pectore neſcit,
Publica Majeſtas. ———

Sapienter Senator quidam apud Vopiſcum *in Tacito.* Dij avertant Principes pueros, & Patres Patriæ dici impuberes: & quib. ad ſubſcribendum magiſtri literarii manus teneant. Quæ, malùm, ratio eſt habere Imperatorem, qui famam curare non nove-

noverit: qui quid ſit Reſp. neſciat, nutritorem timeat, reſpiciat ad nutricem, manuum Magiſtralium ictibus terroriq́ue ſubjaceat; faciat eos Conſules, Duces, Iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, geſta non norit? Et eſt cas merveilleux (ut notanter ait Bernard. de Girard. *tr. de l' Eſtat de France. lib. 2. fol. 166. & v. eund. f. 53. 54. 57. 91. & 140.*) qu' oncq' n' y eut Roy jeune, meſmes en France, qui aupres de luy n' ait eu des perſonnes, qui par leurs diviſions & paſſions ont brouillè l' Eſtat de leurs Maiſtres; & qui pour ſe venger de leurs competiteurs, ont fait des cruelles recherches, & grandement prejudiciables an public.

V. Qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt. Et utiliſſimus ac breviſſimus idem bonarũ malarumq́; rerum eſt delectus; cogitare quid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris. Plinius ad Trajanum *in Panegyr.* Quàm utile eſt ad uſum ſecundorum per adverſa veniſſe: vixiſti nobiſcum, perielitatus es, timuiſti: ſcis & expertus es quantopere deteſtentur malos Principes, etiam qui malos faciunt; meminiſti quem optare nobiſcum, quæ ſis queri ſolitus. Senatus Romanus ad Tacitum Auguſtum, *apud Vopiſcum.* Diu privatus fuiſti: ſcis quemadmodum debeas imperare, qui alios Principes pertuliſti: ſcis quemadmodũ debeas imperare, qui de aliis Principibus judicaſti. Et magno applauſu Adrianus; talem ſe præſtiturum recepit Imperatorem, qualem ſibi optaſſet privatus. Sed verò qui in purpurâ natus, in delitiis educatus ætatem fuit, & tam rerum afflictarum, quàm politicæ æqualitatis ac libertatis inexpertus eſt; unde ſciat quomodo erga Principes affecti ſint ſubditi, quidvè ſibi ab iis fieri velint? Sæpè in proprio Regno, captivis aſſimiles ſunt ejuſmodi Principes; domi clauſi ſunt, vera non noſcunt, coguntur hoc tantum ſcire quod alii loquuntur, nemo illis, in ipsâmet illorũ patriâ magis peregrinus eſt. Demùm macipii inſtar, bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Vopiſcus in Aurelian.*

VII. Inde etiam Regnum ita moderatius videtur; cùm nec innutriti ſint potentiæ, & ex eâ ſuperbiæ aſſumpti Principes, Reges quemadmodùm qui naſcuntur & à Regibus. Quorum frequentius ingenia, inſitam propter inſolentiam, inſtitutionem non admittunt: ſuaque origine indignum quidpiam ſe pati exiſtimant, vilioris quòd hominis ſubjiciuntur diſciplinæ. Stupris & adulteriis filios Principis agunt; nomen ſedemque Regis, nondum ad curas intenti accipiunt. *Tacit. 4. hiſtor.*

VIII. Quoque coronam qui ſe quæſiviſſe novit, Regno cui fuit adoptatus, magis ſe obligatum agnoſcet: è contrà Succeſſionis qui beneficio Imperium conſecuti ſunt, nihil ferè Deo, nihil fortunæ, nihil voluntati & ſubditorum voto, nihil aliorum hominum tribuunt ſuffragiis; ſed quicquid eſt, illud omne in ſe & ſuis viribus poſitum eſſe arbitrantur: Cumque à ſui generis faſtigio, omnem Majeſtatis ſplendorem procedere ſibi perſuaſum habeant; eò facilè ſolent devenire inſolentiæ, ut quicquid infrà ſuam fortunam eſt, viliſſimam quaſi rem mancipi tractent.

IX. Sordidum ac ſervile prorſus eſt, unius familiæ ſi Populus quaſi hereditas ſit: & ſic Remp. Senatum, Populumque ut villulam ſuam, ut colonos ſuos, ut ſervos ſuos à Principe relinqui. Loco libertatis eſſe quòd eligi cœperint Imperatores, ritè concludit Sergius Galba. *Tacit. 1. hiſtor.* Electioque liberioribus ſemper populis retenta fuit; & copia virorum quibus ſuppetebat Imperiali oneri ferendo non imparium.

X. In Regno Electivo, morte conſumpto Imperatore, Reip. omni ex parte ſubveniendi, novum Regem quibus expedit pactis conſtringendi: ac tunc de Principe defuncto abſque metu loquendi reviviſcit libertas; nec inde hiſtoriæ veraçioris luce defraudatur poſteritas. Delecti ſucceſſoris prima ferè cura eſt, anteceſſoris perperā acta reſcindendo; charitatem ſibi conciliare

cilliare subditorum. Vix quod faciet filius, patris qui injuriã suam reputat. Idq; filium etiã monuit, Regũ qui nunc vivunt sapientissimus: Ne patiaris, inquiens, Principibus parentibus tuis aliquam labeculam adspergi. Ingenuè hoc fatendum est, oẽs nos nostris vitiis laborare: quæ tamen tecũ & cum DEO privatim meditando, tibi ipsi usui & exemplo ad vitæ emẽdationem potius esse debent; quàm aliorũ ut sermonib. materiam præbeant, de quâ fabulenter. *Jac. magnæ Britan. Monarcha, Inst. Regiæ. 2. fol. 33. &c.* Qui idem *fol. 98.* Buchanani ac Knoxii Chronica, parilem propter rationem, libellis potius famosis quàm historiis aggregat authenticis.

XI. Nec parum est, quòd nunc præcipuum Orbis Christiani caput, Imperator nempè Romano-Germanicus, eâdem hâc ratione constituitur in Imperio. Ducatus, aliique Principatus, superioribus qui parent; non ita necesse est examussim ab optimis ut gubernentur, & perfectissimis. At maximè id Natura videtur exigere, in eo ut Imperio, quod virtutis & multiplicis præstantiæ nomine, Princeps & aliorum summum est; optimorum optimus, non solùm propter nobilitatem generis, sed & insimul virtutis causâ Regno potiatur: *v. Plutarch. in compar. Lysandr. & Syllæ.* Et similiter Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ (non ita pridem) Poloniæque Imperia approbant suffragationem.

XII. Incommodis circa Electionem quæ occurrunt præcipuè; Interregno scilicet, & de controversâ Electione digladiationibus, comparia ferè sunt, Successionem quæ subsequuntur inconvenientia. Cum nempè Princeps annis minor, Successione ad Imperium vocatur; tunc æquè ac eo tempore quo Regnum vacat; Rex novus dum creatur, scelestum quemque, quasi patefactâ ad concussiones, vexationes ac seditiones viâ, nihil non audere: cunctos verò dignitate aut publico munere sibi commisso, tanquàm re suâ ac patrimonio ad publicam

injuriam abuti; graviter apud Thuanum *lib. 37. fol. 781.* conqueritur Hoſpitalius. Quanto pariter incommodo Succeſſoria adficiat Regna pluralitas heredum, ac quæ eam comitantur fraternæ æmulationes, diviſioniſque & diſtractionis periculum; quas fecerint turbas Fœminarum controverſiæ cum Agnatis, & quæ de Succeſſorio jure, orbus ſi moriatur Rex, non rarò ſuboriuntur lites cruentæ aliæ, nulla nullius ſeculi ignorat Hiſtoria. *vid. Matth. Wehner. in Metamorph. Rerumpup. cap. 9.*

XIII. Sanè imperfectionibus Electionis, ſapiens medicinam adferre poteſt legiſlatio, Electorumque prudens conſtitutio. Doctâ quidem & hîc interdum plus valet arte malum: ſed & ſæpius non obſtante ſucceſſoriâ, nil movente Naturæ lege, patrios inquirunt in annos filii. Quoties violat aut polluit Succeſſionis jura ambitio, & vim miſcet ac fraudem? Quàm ſæpè ſceptra ſic delata non ad longinquos tantùm, ſed & indignos? Nullum ſi Regnum ſine domeſticâ cæde aut parricidio eſſe ſolet; quod identidem repetitur ab hiſtoricis, & exempla evincunt, quæ congeſſit Lipſ. *2. monit. 5.* & Camerar. *1. meditat. 88.* minimè mirum alicui videri debet, legum ſi fractis repagulis nonnunquam turbetur Electio. Et propter eam ſeditionum in Germanorum Imperio, cauſſæ aliæ fuerunt accidentariæ: eaſque Tyrannis Pontificum (quorum proprium eſt Cæſares metuere & inde odiſſe) non rarò conflavit callidè.

XIV. Omnia denique commoda Succeſſionis, etiam Electio habere videtur. Namque ſi in ſtirpe occurrat quidam dignus, is ſummi poteſt, & ſumitur plerunque; ac eo ſimul redditur ratio benemerito patri.

XV. Rurſus verò id emolumenti ſingulariè ſuffragia habent, vitia ut Succeſſoris emendare, & improbus ſi ſperetur ex ſtirpe Rex, eum prævertere poſſint. Quod ipſum inſtigat parentes, adminiſtratione ut Regni laudabiliori, inſtitutioneque

filii

filii diligentiori & ſobolem quoque commendent, de eaque benè ſperare faciant: ipſi etiam filii operam ſic magis dant, ut Regno non propter patres, ſed & propter ſe potiantur. Laude & relatu digna eſt, Regios Liberos inſtituendi via, quâ ad ſpem Regni, ſuos educari fecit Theodoſius Imperator. Is cum filios Arcadium & Honorium, Arſenio præceptori, in timore, virtute & honeſtis diſciplinis inſtituendos committeret; ita dixiſſe fertur: Mei filii, delegi vobis præceptorem eum, qui optimus & ſapientiſſimus noſtrorum hominum cenſetur, cui ego, vobis audientibus, injunxi; ne vos Imperatores, ſed liberorum atque diſcipulorum loco habeat, & ea vos prius doceat, quæ Principi fingendo, & omnibus virtutis officiis inſtruendo, neceſſaria ſunt: quò demum, ſi in poſterum iis imbutos præceptis, virtuti convenienter vitam agere videam, meorum bonorum & Imperii heredes relinquere jure poſſim. *Nicephor. 2. c. 23.* Cumque idem vidiſſet aliquandò, ſuos quidem filios ſedentes, qui Diadema geſtarent, Arſenium verò ſtantem, eosque docentem; excandeſcens ait: Egóne ſic tibi mandavi? Num tu eos Imperatores facis? Ejus rei poteſtas in ſolius eſt Dei manu poſita. Simul abjectis diadematis; præſtat, inquit, piè mori, quàm impiè regnare. *Mich. Glycas. annal. 3.*

Sed nos hîc tandem in hypotheſi, nihil planè definimus, 7.
nec enim privatis de conſtitutâ deliberare Rep. conceſſum. Diuturnus quod firmavit uſus, id obſervandum omninò: quippe in ſuo quæ ſtatu eadem que manent, plus Reip. utilia ſunt iis, quæ vel meliora per innovationem inducuntur. Indeque jure merito, eos notat Bodinus, *6. de Rep. 5. à pr.* antiquitate qui vetuſtiſſima Regna, quæ à ſtirpe ducuntur, ad ſuffragia populi, libris pervulgatis aut concionibus ac diſputationibus traducere moliti ſunt perſuaſibilibus. Et non injuriâ malè Lyſander audit, *apud Plutar. in vit.* Lacedæmoniorum qui Regum conſtitutionem immutare, & duabus familiis, ad ſucceſſionem

quæ

quæ ſolæ admittebantur, adimere, omnibusque Spartanis communem efficere aggreſſus eſt: quòd utique, eâ ſi lege Reges deſignarentur, nullum ſibi Spartanorum prælatum iri fidebat.

8. At porrò, ſi maximè de conſtituendâ aliquâ ageretur Rep. variæ coincidentes circumſtantiæ, populi inclinatio, & Status quas vocant rationes, magis quàm generales & declamatoriæ rationes perpendendæ forent. Quò reſpicit Jeh. de Serres, *en l' invent. de l' hiſt. de France. tom. 1. fol. 358.* cum de Reip. converſione, quę extinctà Carolinâ familiâ, in Galliis & Germaniâ eſt facta, in ſequentia ſcribit: Les Francois n' eſtoient pas en moindre pouvoir que les Alemans, pour faire une Republique Elective: mais leur humeur les reporta à ceſte Royautè hereditaire, ſans laquelle ils ne pourroyent ſubſiſter.

9. In theſi verò, ſuique naturâ, præſtantior Electio videtur: confuſio modo, vitiaque & abuſus alii, bonis dexterè avertantur legibus. In turbatâ Rep. & leges ubi haut ſuffecerint, aut ubi non idonei ſunt Optimates, idoneum ut eligant Regem; firmior & tutior eſt Succeſſio.

Solus autem Deus, felicis largitor Succeſſionis, & Electionis moderator prudentis, utramlibet potis eſt verè facere optimam: utramque propter peccata populi interdum reddit deterrimam; Regem in furore ſuo dat, & auffert in indignationu ſuâ. Tandem ut cognoſcant viventes, dominari Excelſum in Regno hominum. *Daniel. 4. verſ. 17.*

Liber

Libri Primi;

REGIÆ SUCCESSIONIS PERSTRINGENTIS jura,

DISSERTATIO PRIMA:

DE REGALIS SUCCESSIONIS QUALITATE DUPLICI: PATRIMONIALI seu hereditariâ; & Legitimâ vel gentilitiâ.

FEUDALE BENEFICIUM aliud ex Pacto & providentiâ; aliud Hereditarium constitui, nominarivé contendunt Feudistæ. Et quidem ex Pacto & providentiâ, denominationem apud eos meruit Feudum communiter; ad quod nempè à primo acquisitore oriundi, ex vi & provisione primævæ concessionis, & non successionis perveniunt jure: quodque ideò Feudum Gentile, Familiare, Domesticum, Antiquum & Paternum, nõ distante effectu indigitant alii. Ex contrariò, eâ Lege cum Beneficium datur, ut hereditariâ sub qualitate, ab ultimoque possessore, haud secus atque cætera allodialia bona, in succedentem transferatur; Hæreditarium id nominant Feudum. ita difficillimos circa hanc distributionem Feudalem, multiplicesque occurrentes

nodos, expedivit feliciter Andr. Knichen. 1. *d. pact. investit. cap. 2. num. 13. &c.*

2. Alio etiam jure censetur Hereditas, directè & sine onere quæ est alicui relicta; alio, quæ ut Familiæ cujusdam permaneat Fideicomissum, destinatur: hæc enim Feudali ferè est assimilis; adeò ut à Feudo ad tale Fideicommissum, haud incongruè argumentando procedatur. *post Isern. & Menoch. Don. Nic. Intrigliol. d. subst. cent. 3. quæst. 73. num. 96.*

3. Ad eandem propè normam, illud quod Successione defertur Imperium, non parilem ubique, sed duplicem conditionem ac qualitatem habere comperimus: & proindè in Hereditarium seu patrimoniale, & Gentilitium seu Legitimum vulgò discriminatur. *Petr. Gregor. Tholos. 7. de Repub. c. 12. & 17. Vincent. Cabotius, lib. 1. var. jur. disputat. c. 10. 11. & 14.*

4. Hereditarium dicunt, ubi ex testamento, vel eo non condito, ex causâ intestati; sed habito tantùm respectu ultimi possessoris, hereditarioque jure transmittitur Regnum.

5. At legitimus Successionis intuitu habetur Principatus, gentilitius ubi is honos est; & Legis vel consuetudinis providentiâ, certæ personæ non ut heredi; sed secundum generis vel sanguinis prærogativam, continuatione serieque immutabili, summa confertur potestas. Ac Regni tunc hereditas, pariter ut Feudalis successio, non agnationis sed sturpis familiæque beneficentiâ: & aliquatenus quidem ex gradus, ætatis repræsentationisque præjudicio; propriè autem & absolutè ex jure defertur suitatis: spesque hereditatis, Suitas rectè adpellatur Regia. *Hotoman. tr. d. controv. patrui & nepot. passim.* Ex quâ eâdem causâ, & hunc deducunt effectum, quòd in Regnis legitimis, quæ de aditionibus hereditatum, & pro herede gestionibus in jure nostro sancita, locum tueantur minimè: *Vinc. Cabotius 1. disp. cap. 14. pag. 89.* sed hîc ex Lege qui est heres, statim cum Princeps moriendo deserit Regnum, ipso jure saisitus sive verus evadat

evadat possessor. *Carol. Molin. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 13. glos. 2. à pr.*

Circa hoc, an mixtum aliquod existat Feudum; ut quod 6.
partim sit ex pacto & providentiâ, ex parte hereditarium, multis verbis in utramque partem disputant Interpretes. *Hartm. Pistor. lib. 2. quæst. 1. Borcholt. de Feud. cap. 3. divis. 4. Vultej. de Feud. 1. cap. 8. Dn. D. Henr. Bocer. Præcept. & nunc Collega meus honorandus. d. qual. & differ. Feud. cap. 5. num. 12. &c.* Verùm ut Regnum aliquod non absolutè, sed saltem secundum quid Patrimoniale censendum veniat; dicere non dubito. nempè cum hereditariæ & dominicæ potestatis tesseræ (de quibus infrà haud uno loco dicam) non simul unâ concurrunt, sed earum aliquot præciduntur legibus, pactionibus, gentisvé institutis: *cujus rei documentum habetur infrà h. diss. n. 15.*

Sequitur ut dispiciamus, quâ formulâ utraque hæc Regni 7.
species constituatur; quibusque ex indiciis ac præsumptionibus, ad hocne vel illud Successivi Imperii genus, referendum sit aliquod Regnum, nosci ac intelligi queat. Quidam Hereditarium esse perhibent istud, Rex si quæsitor & auctor sit Regni: ut & in Nomothesia feudali, in Successione, & quo ad privationem, alienationem, testationem effectus maxumi est partitio Feudi, in Antiquum & Novum. At rectius opinor à Cabotio perpendi; *1. disput. cap. 10.* an Rex aliquâ sit Lege Successionis obstrictus: sivè initium habeat Imperium in personâ ejus, sive ab aliquo Progenitorum ad illum fuerit traductum. Etenim primus quoque Regni acquirens, præscriptionem sub quâ ei Regnum commissum, observare tenetur. Et sic Legitimum dicerem Regnum, quod ab initio nõ uni solùm, sed & insimul ipsius commendatum est posteris. quemadmodum olim singuli Iisraëlitæ dixerunt Gidhoni: Dominiũ habe in nos, tum tu, tum filius tuus, tum nepos tuus. *Judic. 8. v. 22.* & apud Zonaram, Leo Chazara Imp. Cõstantinopolitanus, à Populo petiit; ne

quem alium nisi se, & filium suum, suamque progeniem in solium Imperii collocarent.

8. Interim non abnuo, omne in dubio Regnum quod armis subactum partumque est (ubi Victor victo populo, non è contrà Legem imponere assolet) Hereditarium existimari: nisi scilicet expressa sanctio; vel quæ Regina dicitur omnium interpretationum, usurpatio, definiat aliud. At si auctor jus Patrimoniale semel in Regno acquisivit, ejus sanè exemplo, & posteri libertate gaudebunt simili: heres quia in jus locum que succedit defuncti. haud secus ac Feudum hereditarium factum, eam nunquàm posthac qualitatem deponit. uti post Minadoum & Zuchar. scriptum reliquit Andr. Knichen. 1. *d. vestit. pact. num. 192.*

9. Sed lentiùs ne disputare videamur, omnia hæc adpositione exemplorum aliquot illustrare conabor.

Et Regni quidem Hereditarii exemplar, perquàm illustre habemus in Imperio Francorum; quod Merovingorum quondam, & posteà Carolinæ domus, indubiè fuit hereditas. *Cabot. l. cap. 13.*

10. Hispaniæ Regna pleraque, jure olim hereditario delata fuisse, certum est: & probant de Castellæ, Arragoniæ, Legionis, Navarræ, & Majoricarum Imperio Oldradus de Ponte. *cons. 94. 95. & 230.* Cabot. *1. c. 10.*

11. Idem in Regno Siciliæ obtinuit antiquitus, addam & in Neapolitano; ut ex Collenutii aliorumque historiis constat: sive Nortmannam domum, sive Suevicam, sive Andiam, aut etiam Arragonicam spectes. Et proinde omnia in Sicilia quæ sunt Feuda, ejusdem farinæ, hereditaria nempe esse, & quæ in capite disposita, ad membra quoque extendi judicantur. *Knichen. 1. de vestit. pact. 2. num. 27.*

12. Quondam etiam Anglicanum Regnum, jure haberi consueverat hereditario: Guilhelmus etenim nothus, ab Eduardo testa-

testamento institutus, illud tanquàm hereditarium vindicavit, & inde Conquestoris sortitus est nomen. *Bern. de Girard. hist. de Franc. tom. 1. lib. 6. f. 561. &c.* Et ante eum Edelradus, nepotes ex filiâ nominavit heredes; matre eorum, & filio Adelstano exheredibus scriptis. *Kranz. 4. Daniæ. c. 18. & seq.*

Sic Rudolphum Burgundię ultimum Regem, huius qua- 13.
litatis sub prætextu heredem instituisse legimus Henricum, Cunradi Cæsaris filium; fraudatâ spe successionis, quibus ea ob propinquam debebatur cognationem. ex eoque Burgundiæ & Arelatense Regnum, Romano-Germanici Imperii facta fuit Provincia. *Gunther. in Ligurino lib. 5. versu 235. & multis seqq. Gail. Paradin. 1. des annal. de Bourg. c. ult. f. 139. &c.*

Legitimum verò cumprimis fuit Davidicum Regnum. E- 14.
legit nempe Jehova Deus, Jehudam in Antecessorem; è familiâ Jehudæ domum Jischai; ex eâ Davidem voluit quem constitueret Regem super Jisraëlem in seculum. similiter ex omnibus Davidis filiis, singulariter selegit Schelomonem, ut insideret solio Regni Jehovæ super Iisraël. *1. Chron. 28. v. 4. & seq. 1. Reg. 2. v. 15.* Post quem semper deinceps, secundum stirpis & primogenituræ ordinem, de masculo in masculum fuit devolutum. ità ut prole Schelomonis, ab Impiâ Hathaliâ prorsus extinctâ, translatum id fuerit ad propiorem agnatum Joascham, ex posteris Nathanis, qui frater fuit Schelomonis: ut Philo, cæterique declarant Hebræi. *Molinæ. de Monarch. Franc. numer. 81. &c. P. Gregor. 7. d. Rep. c. 4. n. 2. &c.* quâ etiam occasione Genealogiæ Salvatoris nostri, apud Lucam *cap. 3. v. 31.* omisso Schelomone insertum fuisse nonnulli autumant Nathanem.

Hugo itidem Capetus, pro suâ animadvertens pruden- 15.
tiâ, Successionis ex lege progressum, vel præcipuè stirpi Carolinæ ad interitum quòd ruerit occasionem fecisse; Regnum quò posteris firmaret perenne, Principatus capiendi modum,

arctiori & Legum multijugi adstrinxit vinculo: jam antè Salicâ Lege aliquatenus devinctum. *Girard. tom. 1. de l' hist. de France. lib. 6. f. 538. Jeh. de Serres 1. de l' inventaire, pag. 355.* Ex eoque tempore, non amplius in Franciâ patrimonialis sive hereditaria agnoscitur Regni successio; sed simplex saltem subrogatio primogeniti, vel proximioris agnati; ex solâ Lege vel consuetudine, & non à proximè defuncto jus accipientis. *Molinæ. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 13. gloss. 3. n. 8.*

16. Quæ etiam succedendi ratio, à plerisque optima reputatur; quam & tandem, omnes ferè nationes sunt amplexæ: nullis, quòd sciam, hereditariis nunc existentibus Regnis.

17. In Germaniâ denique qui sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, &c. Imperii quia ferè Feuda censentur ex pacto & providentiâ Masculina, Legitimam inde Successionem illos habere apparet. *Franc. Pfeil. cons. 78. n. 71. &c.* Si qui verò reperiuntur, allodiorum qui habent naturam (quemadmodum & tales existere de jure in dubio putantur. *post Rosenth. & alios quos laudat Sixtin. 1. d. regal. 4. n. 61. &c.*) hereditario jure eos transmitti censerem.

Dissertatio II.

Regiam Successionem in testamentariam ac intestatam dispescit: & de priore agit pluribus.

1. Hereditates vel ex testamento, vel ab intestato ad nos pertinere, in juris nostri Elementis, Imperator pronuntiat Justinianus. *§. fin. per quas pers. nobis aquir.* Cæterùm in quæstione de Successione, dispiciendum cùm sit omnium primò, an is de cujus quæritur hereditate, ultimum suum, an-

te

te mortem declaraverit votum. quippe quamdiu ultima voluntas aliqua est, eaque de jure subsistit; tam diu ad Successionem ab intestato, & quæ ex solâ est Lege, perveniri non potest. *l. quamdiu. 89. d. Reg. J. l. antequàm. C. com. de succes. Vultej. Inst. ad tit. de testam. ord. n. 4. &c.* Proinde & in hâc nostrâ tractatione, æquè item de utrâque; & quidem prius de hereditate Regiâ ex testamento quæ descendit, nonnihil dicendum erit. ubi simul divisionis, Principalem seu Regiam quæ Successionem, in hereditariam & Legitimam partitur, usum & effectum videbimus haud exiguum.

In hereditario nempè Imperio, Testamento vel simili alio ultimi Elogij genere, de Regno suo disponere pro arbitratu, Arrogationéve aut Adoptione, filium sibi facere potis est Princeps. *Molinæ. ad cons. Paris. §. 13. gloss. 3. n. 9.* Inibi enim Populus, quem viventem coluerat tanquàm patrem, & à quo vivente patris accepit officia; non nisi utilem nominaturum esse sibi Successorem confidit: & nullo ideò succedendi præscripto ordine, liberam Principi de Regno committit dispositionem. Ut quoque Feudum merè & absolutè hæreditarium, non solum expressæ vasalli dispositioni; quin imò & subjacet tacitæ. *Rosenth. de feud. c. 7. concl. 6. à pr.* 2.

Quo intuitu Nicol. Betsius, in suo de pactis famil. illustr. tractatu elegantissimo, *c. 10. fol. 658.* notatum reliquit: eum qui primus ex suo genere regnat; Imperio, Belli aut alioquin liberæ & plenæ, nullisq; Legib. adstrictæ potestatis jure acquisito, Legem in Testamento dare posse, ut in reliquâ privatâ hereditate. Sicq; Ptolomæum primũ Ægypti Regem Lagi filiũ, contra jus Gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem ex quâ mortuus est, Regnum tradidisse. *v. supr. diss. 1. n. 8.* Ut etiam Hispaniæ, Angliæ, Burgundiæ, aliaq; hereditaria Regna, *de quib. d. diss. 1. num. 9. & seqq.* Regum olim Testamentis, identidem relicta fuisse, ex rerum gestarum monumentis perspectum habemus. 3.

Por-

4. Porrò donare, cessione, vel in dotem datione tale transferre licere Regnum; auctor est Cabotius. *1. disp. c. 10.* parum quòd interfit, vel aliquo inter vivos contractu, aut per Testamentum de Regno ordinatio fiat. Sicut & Hereditaria, eaque Feuda, Successionis quæ ratione, jure Allodialium censentur; alienandi quoque facultatem præsupponunt. *Conf. Marpurg. tom. 1. conf. 33. num. 49. &c.* At hoc, cum micâ Salis quod aiunt, intelligi debet.

5. Enimverò integrum esse Principi in Hereditario Regno, libero quem velit voto, ex suis eligere filiis, dubitatione vacare videtur: & in historiis undique sunt obvia exempla, judicii Parentum, in designando sibi successore qui placuerit ex filiis, liberrimi omninò. Sanè Pyrrhus, ei qui ex liberis gladiũ habuerit magis acutum Regnum se relicturum spospondit. *Plutarch. in vita.*

6. Sed an omnes filios negligere, vel extra genus heredem hîc scribere liceat? disceptatur inter multos. Deficientibus demum liberis, in prejudicium agnatorum & quorumcunq; collateralium, de Regno posse disponi Patrimoniali, voluerunt *Molinæ. in conf. Paris. §. 13. gl. 3. n. 9.* & Cabotius. *1. disp. c. 10. & 14.* Sed cum Regnum absolutè hereditarium tum solùm intelligatur, nullâ ubi prorsus Lege, succedendi est ratio præscripta; ea proinde, ita arbitrio relinquitur explicato Imperantis, ut nec is etiam naturalem succedendi ordinem observare cogatur. in tantùm, ut hoc casu ingens censeatur gloria morientis Principis, Rempublicam magis amare quàm filios, publicamque utilitatem sanguinis anteponere conjunctioni: & cum Pertinace Imperatore, haud filium nisi meruerit sibi velle Successorem. *Capitolin. in vita.* Sicut & Pharnaces filiis præteritis pluribus, fratri Mithridati insignis virtutis viro, Imperium reliquit. *Justin. lib. 41.*

7. Leges etiam ni prohibeant fundamentales, tùm quoque nomi-

nominari poterit Peregrinus. Sic non deterruit Nervam, quod Trajanus homo Hispanus, nec Italus erat nec Italicus; quodque ante eum, alterius nationis nemo obtinuerat Imperium Romanum. *Dion. hist. Rom. 68.* censebat enim ex virtute, non patriâ æstimari quemque debere.

Sæpiùs autem non hîc irrita censentur Testamenta, quæ jus Civile tanquàm non ritè facta infirmat. Quandoque morientes vel desperantes de vitâ, annulum saltem ad eum quem designarent, mittere soliti fuêre: & erat enim annuli traditio, tessera olim heredis instituendi vulgata. *Guil. Fornerius 1 select. c. 3.* Ita Alex. Magnus, sextâ à decubitu die prœclusâ voce, exemptum digito Annulum dedit Perdiccæ; eoque gliscentem amicorum sedauit seditionem: nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamē is electus videbatur. *Iustin⁹ lib. 12.* Sic heredem indicauit Antoninus Pius M. Aurelium, cum Fortunam auream quæ in cubiculo Principum poni solebat, ad eum transferri iuberet. *Capitolin. in Pio.* Hocque est quod nostri docent Interpretes Iuris, Principem ad nullam omninò Iuris Ciuilis sollemnitatem, dum vltimum suum prodit arbitrium adstringi. *Frid. Pruckman. in § soluta potestas. cap. 4. membro 3. effectu 1 fol. 645. &c.* Quia nempè Princeps à sollēnitatibus Iuris, quarum omissio cuiquam tertio non nocet, vsquequaque est liber, inque ijs solutâ prorsus fruitur potestate. 8.

Videndum nunc erit an Principibus solùm supremis, hoc sine solemnitatibus testandi competat Priuilegium; an vero commune etiam sit inferioribus cæteris. Equidem Sichardus *in l. sancimus in pr. n. 18. & c C. d donation.* superiorē recognoscētibus, & in specie Principibus Germaniæ, excepto Imperatore, hanc facultatem non esse, in vulgus edidit opinionem. Vt & post Rosenthal. *12. concl. 10. nu. 16.* in sequentia scribit Betsius: *1r. d pactis fam. c. 7. pag. 235.* Quamuis concesseris in Ducatu vel Comitatu, Ducem aut Comitem ea posse, quæ Imperatori in 9.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [35] - 29

toto Imperio licent: nihilominus videretur id respectu tantum subditorum intelligendum. Nam si de testamenti minus solemnis valore, puta saltem coram duobus aut tribus testibus conditi incideret quæstio, illa apud superiorem instituenda & agitanda esset: qui haut facilè concederet, hanc personam litigantem, intelligi à potestate & legibus suis solutam. &c. Tutius esse non inficias eo, in Principum ac Comitum Germanorum Testamentis, sollemnitates sollicitè debitoque seruari modo: & tamen hoc ni fiat, non proinde dispositionem corruere censerem. Quod & placet Pruckman. *d.l. nu. 16. fol. 655.* Imperij certè Status Principum habent prærogatiuam vbique, nisi quod certis in casibus Cæsaris Imperijque Maiestatem obseruare tenentur: nec hoc priuilegium etiam in Aulâ vel Camerâ Imperiali, inter ipsos dum ius dicitur negligendum videtur.

10. In Imperio jure quod certo deferri, quodque à lege vel cõsuetudine tribui solet; non exheredem potest pater Filium facere, præteritáve domo sua heredem scribere alium: irritumque reputatur testamentum, quatenus in Regno Legitimo, de Regno Regnivé administratione disposuerit Princeps; ipso jure rupta est Adoptio, Legatum, fideicommissum, omnisque omnino ordinatio defuncti, in fraudem legitimi successoris quæ tendit: summus licet ille Princeps, & superioris potestatis ex toto fuerit nescius. *Molinæ. ad consuet. Paris. §. 13. glos. 3. n. 8. & c. Tiraquell. tr. d. primogen. quæst. 21. Cabotius 1. diff. c. 14. Ioh. Dauth. in expos. l. fin. C. de pactis sub. nu. 16 fol. 222. & in tr. de testam. t. qui test. fac. poss. n. 253. & c f. 223. Betsius d. pact. fam. c. 8. fol. 445.* Quod tamen ad Patrimonia priuata quæ Reges & Principes habent, extendendum est nullo modo. *arg. l. cum heres 7. in fin. C. qui test. fac. poss.*

Commodum nempè successionis non defuncti beneficio, sed sanguinis, generisque ac familiæ omninò intuitu habet: *Tiraquel. d. primog. quæst. 35.* cumq; id heredi sanguine proximo, à lege vel consuetudine concessum sit in solidum: illud propter-

ea,

ea, tanquam jus quod vocant formatum & proprium, ipsi à nemine aufferri potest. Etenim multum interesse, an obtineat quis aliquid & consequatur à Patre, an verò à genere; planè etiam demonstrat Alphenus IC. *in l. 3. ff. de interd & relegat.* dum ait; Eum qui Ciuitatem amitteret, nihil aliud juris adimere liberis, nisi quod ab ipso peruenturum esset ad eos, si intestatus in Ciuitate moreretur: quæ verò non à Patre, sed à genere Ciuitateque tribuerentur, ea manere eis incolumia.

Princeps quoque Legibus solutus, qui Lex animata, & sicut quidam corporalis Deus in Regno suo videtur: pactis tamē adstingitur fundamentalibus, & Lege quâ ei delatum est Regnū. *Auct. Antimachiavel. 1. theorem. 2. f. 61. &c.* Idcircò etiam quando ex Lege Principes succedunt, vel ex Lege Regni creātur; ipsi subeundo Principatum, conditionib. hereditati impositis obligantur arctissimè: tanquam ex contractu cum defuncto facto, vel potius cum ipsâ quæ Successionem defert, sanctione fundamentali. *P. Gregor. Tholos. 7. d. Rep. c. 17. n. 8.*

Sic jure Mosaico-Diuino, *Deut. 21. v. 15.* prærogatiua primogenitorum, nullatenus à Patre perrumpi, illisve eo jure duplicata competens portio, adimi. Neque etiam Imperator ex plenitudine potestatis, inferiori alicui Principi, jus à Lege nomine primogenituræ delatum præcidere potest. *post Pruckm. Gerl. Buxtorf. dissert. ad Aur. Bullam. th. 85. b.* II.

Et testamentaria successio, propriè & secundum naturam juris Beneficialis exulat ex feudis. adeò vt ne quidem candelam pro animâ vasallus relinquere posse dicatur. *Andr. Isern. ad c. 1. an agnat. vel filius &c.* Nec valere dicunt assignationem, si pater expressè Feudum vni filiorum destinasset; aut eos inæqualiter in Feudis succedere debere dispoſuerit. *Rosenth. c. 7. concl. 3. n. 4. & seq.*

Inde absurdus videtur Pontifex Romanus, qui *in c. 6l. licet vniuersis. vel licet de voto. ex d. vot. & voti redemp.* hâc in parte tan-

te tantùm sibi potestatis arrogauit, vt Regem, Patris sui votum exequi negligentem; ad id secundum datam fidem intra certum tempus adimplendum, sub comminatione juris primogenituræ in minorem fratrem transferendi, compellere non dubitârit.

12 Eorum quæ dicta sunt, duo nobiliora nunc adponam documenta. Georgius Saxoniæ Dux, quo nõ vllus Lutheri sectatorum capitalior fuit hostis, moriens sine liberis, heredem testamento Henricum fratrem & eius liberos Mauritium ac Augustum reliquit, eâ Lege vt Relligionem si mutarent, Carolo V. & Fetdinando fratri ditio cederet omnis: donec vel illi vel filij, vel ex Saxonicâ familiâ proximus agnatus, impleuerit conditionem. Verum Henricus, qui Smalcaldico fœderi subscripsisset, cũ primum de fratris morte cognouit, conditione reiecta adijt hereditatem. *Thuan. lib. 2.*

Addam & illustre Serenissimæ Electorum Palatinorum & Bauaricæ familiæ exemplum; quod quàm nullius momenti sint Principũ eiusmodi dispositiones, insigni præiudicio luce meridianâ clarius demõstrat: *& refertur in Chron. Peuceri fol. mihi 694. & in hist. Eccles. Luc. Osiandri. cent. 16. par. 1. f. 18. Mart. Crusij annal part. 3. lib. 9. c. 13.* Philippus Palatinus septemvir, filio suo Ruperto, nuptias coaciliârat filiæ Georgî diuitis Bauariæ Ducis, qui præter auri argentique vim omnem, & supellectilem planè Regiam, genero legauit eam Bauariæ partem, quam successionis jure tenebat. Hoc testamentum quò minus ratum haberet Maxæm. I. Imperator, Albertus Bauariæ Dux (id in fraudẽ suam contra Imperij Leges, & jura Feudorum conditum affirmans) impensè instando euicit. Post mortem Testatoris, cum gener integram soceri ditionem, armis occupare anniteretur, nec monita curaret Imperatoris; bellum inde exortum est Palatinæ familiæ detrimento sum, totique Imperio funestum: quod Noricum vel Bauaricum vulgò indigitatur.

Sed

Sed nostra hæc doctrina, ita porrò ampliatur: ut nequeat 13.
de Regno testari Rex, etiam eum cui Regnum aliàs debetur instituendo. *Guil. Benedict. in rep. c. Raynutius. ver. in eodem testam. relinq. 1. num.* 148. & tunc nullo modo potest Institutus, testamentariæ vi dispositionis Imperium capere (eo namque Regnum, formam assumeret patrimonialem) sed solùm virtute & efficaciâ legis immutabilis, à quâ ad Imperium proximitatis intuitu vocatur. Plurimorum hinc Franco-Galliæ Regum testamentorum apophasin seu indicem, apud Joh. Tilium reperire licet; *au Recueil des Rois de France, leur couronnement & maison. fol. 345. v. etiam Sebast. Rouillard. en le grand Aulmosnier de Fr. fol. 242.* quæ nil ferè nisi Legata aliquot continent ad pias causas, & seriæ pœnitentiæ indicia habent ac vestigia haut leviter fixa: dum hîc pecuniam amplissimam, sarciendis damnis & injuriis destinat; quibus vel ab ipso, vel ab aliis ipsius commodis impiè servientibus, afflicti sunt subditi: ille numorum summâ ingenti reponi curavit detrimenta, sylvarum quæ accolis intulerê apri, cervi, aliæque similes feræ bestiæ, venaticæ voluptatis gratiâ quæ asservabantur.

Et insuper dispositioni, in legitimi præjudicium heredis, 14.
haut robur accedere potest, ab auctoritate Senatus sive Ordinum Regni. Pariter ut nec ordinatio de Feudo, etiam Domino annuente facta; filiis præjudicat vel agnatis. *Rosenth. 7. d. Feud. concl. 4.* Et Feudum ex pacto ac providentiâ antiquum, uni filiorum invitis cæteris, etiam cum Domini assensu, relinquere haut potest pater. Menoch. *cons. 161. num. 1. vol. 2.* Inde Caroli VI. Galliarum Regis filius unicus, ab ipsomet suo patre, Regnique Consilio, Successione indignus judicatus; ejusque in locum Catharinâ, dicti Caroli sexti filia, Henrici V. Anglorum Regis conjuge substitutâ; ad mucronem gladii sui solemniter provocavit: hancque provocationem felici exercens successu, Imperii habenas Anglorum extorsit è manibus; & quod nemo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [39] - 33

in spe habebat ullâ, Galliis omnibus, solùm excepto Caleti portu deturbavit eosdem. *ut ex Tilio refert Nic. Betsius c. 6. fol. 187. & attigi ego intr. meo de Appellation. 2. num. 14. ad fin.* Silere hîc non decet puellam illam Lotharingam famosissimam; quæ vulgò Aurelianensis dicitur Virgo. hæc enim Regem Carolum VII. Rhemos deduxit ad Coronationem, armata præliis interfuit multis; operâ ipsius & ductu Aurelianum arctâ obsidione liberatum, & pleraque alia, fortiter ac feliciter gesta fuêre. Ea quidem ad extremum capta ab Anglis, & Rhotomagum deducta, igne exusta ut præstigiatrix: defensa tamen est dissertationibus coævorum scriptorum, quas in lucem produxit, unoque fasciculo nexit, & sub nomine Sibyllæ Francicæ vulgavit Anno 1606. Nobilissimus Goldastus.

15. Neque metus aliquis licet subsit, ut mortuo Imperante, de Regno controversia suboriatur, eam dum vivit, definire potest Princeps, qui successoriâ nempe Lege obstante, de Regno (tanquam bono ut loquuntur JCti affecto) non ullum disponendi jus habet. Quâ ratione cùm Lusitaniæ Rex ultimus Henricus, & Gubernatores, & certos insuper Judices nominasset; illi ut eo vitam ponente imperarent, hi verò sententiam ut ferrent in caussa Successionis, ipse si forte lite pendente moreretur; nullatenus Henrici Jurisdictionem agnoscere voluit Hispaniæ Rex Philippus II. Et Gubernatores designare, qui ultrà maneant quàm duret vita constituentis, pro insigni errore habebant Iberi: quippè quòd Rex ignoraret, Regiam potestatem exspirare unà cum vitâ; & Gubernatores ejusmodi creare, aliud nil esse, quàm etiam dominari velle post mortem. *Hier. Conestag. d. Portugal. & Castell. conjunct. lib. 3.*

16. Quæ omnia vera puto, Novum nisi Regnum existat, ei scilicet qui condit testamentum, pro se suisque Filiis jam primò collatum: tunc etenim præjudicari poterit liberis; consensu modo id fiat eorum qui Regnum constituêre. Quandoquidem quod

quod quis se mihi & alteri præstiturum promisit, meâ & promittentis voluntate, adimi revocarique pro lubitu queat: quæ doctrina est Bartoli frequenter approbata, & multis illustrata ab Harmanno Pistor. *part. 2. quæst. 4. num. 60. &c.* Quam propter rationem, cum Jul. Claro Mich. Grass. Fachinæo & aliis, contra ac opinatur Dn. Collega Bocerus *tr. de succes. Feud. c. 1. quæst. 1.* censerem, filiis præjudicium in Feudo novo per testamentum facere posse Vasallum, si Domini accesserit consensus.

Haud verò potest Princeps, etiam ex magnâ ingratitudinis caussâ, ea si non in delictum cadat atrocius; filium vel heredem sanguine qui proximus habetur, ejus expertem facere Regni, jure quod non defertur patrimoniali: id quia haud à parte offenso, sed ipsi obvenit aliundè. Quâ eadem de caussâ, toties exheredationem non in Feudis nocere Filio dicunt, illud quoties sine hereditate patris assequi potest: exheredatum verò Filium, tum pariter à Feudo excludi etiam volunt; tale si aliquid admisit, propter quod in Curiâ Domini ut staret indignus existit. *Zasius. d. Feud parte 8. num. 8. Joh. Schneid. part. 6. cap. 3. de succes. descend. masoul. num. 26. & post Jul. Clarum Johan. Borcholt. d. Feud. c. 7. num. 61.* 17.

Nihilominus tamen non prohibitum est Principi, ex Lege Successorem, qui mente captus, prodigus, vel aliter ad Imperandum non idoneus apparet, à Successione removere, & quem Deus honestavit (ordinibus non invitis) præferre. *Tiraquell. d. primog. quæst. 21. num. 10. 11. & ult. Ferd. Vasquius de testat. potent. §. 6. num. 18. Molinæ. ad Conf. Paris. §. 13. gloss. 3. num. 3.* Lex quippe vel consuetudò Successionis, non est contra Regni commodum interpretanda, pro cujus utilitate salubriter ab initio fuit introducta. *arg. c. quod favore. de Reg. Jur. in. 6. l. 25. ff. de legib.* 18.

Fideliter ad finem moneo, Natura quem ordinem præscribit, nec in hereditario facilè negligendum esse Regno: rarò 19.

felix

felix nec nisi turbandis rebus talis electio, succedendique violatio juris existit, & eò haud intendere debet Princeps In vitio esse, ipsâq; etiam Naturæ Lege damnari, qui Bona à consanguineis aut Posteris ad alienos transferant, in arte suâ moriendi, memorat Guil. Perkins *fol. 121.* Non ideò nimis ridendi fortasse Pannonii, qui pervicaciter hoc jus sunt tutati in suo Colomanno. Uladislaus Rex, liberis ipse orbus, Alamum fratris sui filium adoptaverat, animo & corpore meliorem, ævo inferiorem Ut autem rata magis Electio esset, Colomannum fratrem sacris initiavit, & procul à patriâ, Lutetiam Parisiorum, specie studiorum ablegavit dicam, an relegavit? Obiit Uladislaus, sed statim proceres & populus revocant Colomannum, & veniâ execrationis à Pontifice impetratâ, Regem simul, & maritum fecerunt. Hominem staturâ pusillum, linguâ balbum, oculo luscum, pede claudum, dorso gibberum. *Lipsius. monit. polit. 2. cap. 4. mon. 2. & ex Mich. Ritio repetit Tiraquell. præf. d. jur. primog. num. 6.* Nec immerito Joh. Galeacius primus Mediolani Dux, cum coràm intueretur filios, Johannem natu minorem, & Philippum Mariam, juniorem quidem, sed gubernando Principatui magis idoneum; tametsi proclamaret, iniquam esse consuetudinem, quæ primogenito Regnum omnino deferret: eam nihilominus sibi nullâ in parte mutandam judicavit. *Tiraquel. d. loco. num. 10.* Et quæ damna ac mala dederit Regiæ immutatio Successionis, pluribus recenset Gregor. Tholos. *7. d. Rep. c. 7. & Richterus, axiom. polit. 90. 91. & 94.*

20. Licet non desint exempla, ubi in gentilitio etiam Principatu, præpositus fuit minor virtutibus excellens, cum earum inopia esset in majore: sed non sine ejusdem assensu. *v. Molinæ. in consu. Paris. §. 13. glos. 3. num. 27. & seq.* Cujus rei illustre testimonium habemus in Friderico primo, Electore & Marchione Brandeburgensi. Is testamentum conditurus, advocavit ad se filios quatuor, & maximum natu Johannem, in hunc fermè mo-

modum fuit allocutus. Primus ego dignitatem acquisivi Septemviralem, nunc cùm ex hâc vitâ evocer, curæ mihi est, ne decus tantum in familia nostra vilescat. Tibi ut video, tranquillitatis studium est unicum: in munere Septemvirali, assiduos præter labores invenies nihil. Hanc ob caussam, tuâ si voluntate possum, munus hoc testamento concedam Friderico; qui te excitatior, atque ad labores ferendos firmior videtur. Cui Johannes; existimavi ante hoc tempus, chariorem tibi multò Fridericum quàm me esse, neque id non ægrè ferre potui. nunc sententiam muto, & te Pater amo, coloque; qui mihi otium, illi negotium supremâ voluntate dimittis. *Aeneas Sylvi. de statu Europ. sub Frid. 3. Imp. cap. 31. Casp. Peucerus. in Chron. lib. 5.* Nec malè Judicavit ille Pater: Fridericus namque inter Principes Germaniæ Sapientiâ clarus est habitus, ejusque consilium multis sæpè effecit provinciis pacem. Sic item Roberto Galliæ Regi, Henricus successit filius minor; jureque Regni cessit fratri acerrimo, & qualem judicio optimi patris tempora postulabant, natu major. *Paul. Aemil. Bern. Girard. & Jeh. de Serres, in hist. Gall.*

Dissertatio III.

De Ascendentium Successione in Regnis.

Quamvis in Allodialibus bonis, Ascendentium Successio lato pateat campo: attamen in Regnis, Legitimis præsertim; non secus ac in Feudis (quorum utrorumque Successiones in multis geminæ reperiuntur) angustis ea finibus circumscribi posse videtur. rarenter quia fieri solet, ut Regnum à Filio ad Ascendentes perducatur: id quoniam iis 1.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [43] - 37

vivis filius non habet, sed vitâ functis demùm succedit, nec defluit ad Filium nisi medio Patris.

2. Cæterùm Filio Principatᵘ si fortè obvenit, quem Pater priùs aut alii ex Majoribus habuêre; ipsi ex vita sine prole decedenti, Ascendentes de integro succedunt. Lugubre enim esset & calamitosum, Regno & Filio simul orbari. *arg. l. 6. in fin. princ. de jure dot.* Quod idem observatur in Feudo, si defunctus à Patre suo per refutationem aut venditionem illud acquisivit. *Mynsing. cent. 3. observ. 93. Rosenth. d. Feud. c. 7. q. 14. n. 8. & 9. Rittershus. c. 12. quæst. 9. in part. feud.*

3. Econtrà si cui pro se & filiis, à Populo Imperium tribuatur nunc primò; tum Ascendentes his pactis excluſi prohibitique censentur.

4. Sane viduæ Matres, Liberis in Regnis familiaribus, à Paterna linea profectis, nullo modo succedunt: imò in Hereditario etiam Regno, aliud ni Testamento vel usu receptum, agnatos præponerem matri. Ut & Senatusconsulto Tertulliano, quod Divi Pii temporibus factum, & ad Bona filiorum filiarumque Matrem indiscriminatim admittit; *tot. tit. Instit. de SC. Tertul. Guil. Ranchin. d. succeſs. ab inteſt. §. 12.* multorum locorum derogatum est Statutis: *v. Johan.* Stumpffen. *hist. Helvet. libr. 7. cap. 30. fol. 232.* Quale Anno 1567. conditum in Galliâ fuisse tradit in historiâ suâ Thuanus. *libr. 39. fol. 824.* Matribus Paternorum avitorumque bonorum adimens proprietatem: ea ne in posterum, imaginibus veluti revulsis, ad alienas Familias transferantur; eaque occasione agnati ac gentiles, iis exuti, ad extremam inopiam redigerentur.

5. Itidem si à genere Materno, delatum sit Filio Regnum, ad Patrem non magis, quàm alium extraneum quemvis, Successionis devolvitur jure. Quod & obtinet in Feudis: *Ludol. Schraderus. tr. Feud. par. 7. de succeſs. ascend. vers. secundò hæc conclusio ampliatur. c. 6. num. 2.* ita ut nec Patri in eo competat usus-

ususfructus: *Rosenthal. 7. concl. 14. num. 16.* maxumè si dignitatem adnexam habeat Feudum, personæ quæ cohæret. *Curtius. d. feud. part. 3. principal. membr. 2. num. 47.*

DISSERTATIO IV.

PARTITIONEM INTER PLURES HEREDES NAVIscare Regna: Primogenitumq; Gentium jure communi, cæteris in Successione præferri.

1. IURIS privati contra æquitatem (æqualitatem quod inter liberos servat) Jure Regni non pares in gradu succedunt omnes: Jura sed Majestatis universim, omnis Imperi vis, & publici reditus omnes, uni omni divisione tribuuntur sublatâ. *P. Gregor. 7. d. Rep. 5. à pr. Bodin. 6. d. Rep. 5. Arnisæ. doctr. polit. 9. fol. 192.* Sanè meritò monstro simile esse scribit Afflictus, *ad §. præterea Ducatus. sect. 2. incip. In decimo tertio, &c. n. 5. d. proh. Feud. alienat.* unius si Regni plures forent heredes. Thronus quia sui naturâ, non patitur in solio plures; Monarchicusque deperit status, & in speciem Resp. transmutatur aliam, Majestas quando communicatur. *Arn. Clapmar. 2. d. arcan. Rerump. cap. 22.* Sine æmulatione si vivere haud queunt, pari qui pollent potestate; quantumvis uni subjecti Imperatori, cujus auctoritate cohibeantur: de iis quid exspectare debemus, quibus tantum licet quantum libet? *Cons. Marpurg. vol. 3. consil. 35. num. 67.* Vitandas esse communitates, quas nos vernaculâ linquâ Gemeinschafften appellitamus, haut malè nos docent Impp. Theodos. & Valent. AA. *l. 2. Cod. quand. & quib. quarta pars &c. libr. 10.* dum ajunt: Multi tanquàm corrumpendi totius Patrimonii occasione captatâ, uniuscujusque rei

particulam sibi vindicando, adeò totas dilacerant facultates; ut dum participibus relictarum opũ nocere cupiunt, sua quoque jura præcipitent. Et paulò post: Naturale vitium est, negligi quod communiter possidetur; utque se nihil habere, qui non totum habeat arbitretur.

Nec Regna socium ferre, nec Tædæ sciunt.

Parcissima Regum Lacedæmoniorum fuit potestas; & de iis tamen Pausanias scribit, in unicâ quòd saltem re vixerint semel concordes.

Nemo potest Dominis, aquè servire duobus.

2. Et inde cùm Lydis Crœsus imperitaret, & in Imperii consortium assumpsisset fratrem, tum quidam ex Lydis accedens dixit: Omnium in terrâ bonorum, ô Rex auctor est Sol, nec quicquàm extaret in terrâ Sole non illustrante. At si gemini Soles forent, periculum immineret, ne mox omnia conflagrarent. *Joh. Stobæus serm. 45.* Ita & Regem unum, accipiunt quidem Lydi & Servatorem esse credunt; duos verò simul tolerare non possunt.

De Imperio Antonini & Getæ, duorum simul pari potestate Augustorum; hæc memoranda scribit Herodianus, *hist. sui temp. lib. 4.* Juvenes discordias quotidiè & simultates exercere, insidiari inter se, moliri, parare omnibus modis; atque ea modò uterque in animo habere, quibus alter dolo caperetur. Postremò quâcunque viâ graffari ad singulare Imperium, ac nihil invicem prætermittere, dum consortem expungerent potestatis. Sed & mentes animique omnium Urbanorum, quicunque honore aliquo aut dignitate præstarent, diversi trahebantur; utroque seorsim litteras clanculum missitante, magnisque pollicitationibus sibi homines adjungente. Sive Duces ac Magistratus aliqui eligerentur, uterque amico suo potissimùm suffragabatur: sive jus dicerent, semper diversa sentiebant, magno interdum illorum periculo cuia res agebatur. Imperandi è contrà

trâ cupiditas, quâ nunquam Regij destituuntur heredes, optumâ retunditur ratione, & ne ad nimiam ij incumbant ambitionem impeditur; vni si soli Regnum, & solida si conferatur Majestas, nec cæteri nocendi facultatem, Imperij aliquâ habeant participatione.

Portionibus autem si inter plures fratres diuidatur, infirmius multò futurum est Regnum (Magnitudine quod subsistit & potentiâ) quàm si remanserit penes vnum. Ac si tot Regna fierent separata & Respublicæ singulares, quot numero filij existant; eaq; rursus pro multitudine Nepotum pronepotumq;, vtiles distraherentur in portiones; infinita fieret partitio: tum Imperij tũ & subditorũ cũ grauissimo detrimẽto. *v. Rich. axiom. 93.* Inde ob bonũ publicũ, & in honorẽ ac fauorẽ Imperii introductum, & ab ipsâ naturâ monstratũ esse ait Curtius sen. *cons. 66. vol. 2.* vt hoc modo Principatus & qui sub eo, integri quietique seruarentur. Sicut etiam, ne per rem domi angustiorem, claritas obsolesceret familiarum, in Hispania Majoratus, aliaq; adhuc obtinent iura similia alibi. *v. Guil. Perkins. d. rect. ration. moriendi fol. 121. & sequen.* Et ita in Galliâ, consuetudinariam quam vocant, quę nempè jure non vtitur communi, solus inter Nobiles Primogenitus succedit in Castro seu Manso antiquo (*le principal manoir*) & in eo simul terræ spatio, quod circa eandem est domum; le vol du Chappon appellant. Jdque est Francorum viuere jure: *Pet. de Vineis. 6. Epist. 26.* ad differẽtiam Longobardici juris, vbi ex æquis portionibus capiunt hereditatem fratres. *Gail. Ranchin. tr. d succeß. ab inteſt. §. 10. n. 6. & sequen. Betsius d. pact. famil. c. 9. à pr. f. 500. &c.* 3.

Potentissimus Magnæ Britannię Rex, Iacobus primus, ad submouenda discordiarum & æmulationum semina; duo Regna Angliæ & Scotiæ, vno Magnæ Britanniæ nomine, & ijsdem etiã Legibus in vnũ Regnũ redegit: hinc symbolum illud Regi Aureis eius inscriptum, à paucis verò intellectũ: Henricus Rosas, 4.

sas, Regna Iacobus. *v. Nicol. Betsium. d. pact. famil. c. 8. f. 328.* Et idem insuper Filio suo, ne Regna cum Fratribus diuidat, sed ea vnus vnita reseruet, nec Fratres sibi pares, sed inferiores & subditos ferat; in libello quem titulo Doni Regij insigniuit, perpetuale instillauit præceptum. Duo regna habuit, priora per multa secla disiuncta: & tamen vnire ea, quàm duobus ex æquo relinquere Filijs, magis voluit Regum ille nostri seculi maximè prudens.

5. Non sine causâ Johan. Tilius *in comment. de reb. Gal. lib. 2. pag. 117.* asserit: si in prima secundaque familia, Regnum indiuisum primogenito adhæsisset, satis firmum Imperium Galliæ futurum (quatenus humano Iudicio fit probabile) ad instituendam tuendamque Orbis Monarchiam. Et experientia testatur fecit, nunquam nisi ciuilibus bellis insecutis, Franco-Galliæ Regnum diuisum fuisse. Dum enim singuli magnitudinem æquare connisi sunt Paternam, seq; angustis nimium finibus clausos putabant; externa primùm mox & domestica exorta sunt Bella, quoad vnius ad arbitrium omnia reuocata fuêre. *Paul. Aemil. in vita Childeberti & Chereberti. Girard. tom. 1. hist. Gal. lib. 1. f. 73. vbi de Clodoveo. fol. 92. vbi de Clotarij, & lib. 5. fol. 433. vbi de filiis Ludovici Pij.* Quod postea Hugo Capetus, Primogenituræ & Appanagij vt vocant constituto jure, perpetuâ saluberrimaque firmauit legislatione. *Girard. tom. 1. lib. 6. fol. 538. Iohan. Bodin. 6. d. Rep. c. 5. fol. 734.*

6. At verò tam in Legitimo, quàm (non aliter disponente Patre) in Hereditario Regno; Iure Gentium, moreque ita comparatum est vetusto; ex pluribus filiis, Regnum Primogenito vt cedat: primusque semper habeatur, maximus natu ex liberis eius, qui vltimo regnans discessit. *Tiraquel. in præf. tr. d. Primogen. Bodin 6. de Rep. c. 5. fol. 729. P. Gregor. 7. d. R. c. 5. Dn. D. Harprecht. ad tit. inst. d. succeß. ab intest. in pr. n. 102. Ranchinus d. succeß. ab int. §. 10. n. 1. Peregrin. de Iure Fisci. lib. 1. c. qui Iura Fiscal. hab.*

bab. n. 48. Eberart. à VVeihe de succeß. prærog. G. 6. b. Arnisæus. in polit. c. 9. fol. 214. Hier. Treutl. vol. 1. disp. 19. θ. vlt. Frid. Tileman. disp. ff. 2. θ. 12. Henr. Velsten. cent. quæst polit. dec. 7. θ. 1.

De Ruben Primogenito suo, prophetico spiritu commemorat Patriarcha Jacobus: *Genes. 49. v. 3.* Tu Ruben Primogenitus meus fuisti, vis mea & principium potentiæ meæ: excellẽtia dignitatis & excellentia roboris. Duas hîc attingit prærogatiuas, quæ eius vt primogeniti fuissent futuræ; nisi se Incesto cõmaculasset: Vna est Dignitatis, quâ Fratres sibi subjectos habuisset; altera roboris ex dupla hereditate. *Inman. Tremel. ibid.* Idem probat & Liuius, dum Persæum Philippi Macedoniæ Regis filium natu maiorem, cum Demetrio fratre Regnum appetente, ita loquentem inducit: Regnare vtique vis; huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat Gentium Ius, obstat vetustus Macedonię mos. Vt & Justinus *lib. 2.* de Darij filijs loquens: Ex his, inquit, Artomenes natu maximus, ætatis privilegio Regnum sibi vendicabat, quod jus & ordo nascendi, & natura ipsa Gentibus dedit. 7.

Barbari sunt modi, Leges que Successionis absurdæ, quæ alijs quàm Primogenitis, quàm etiam ad filios Regum, deferunt Regnum. Vti in Regno Calecuti, Filio Regiæ Sororis. *Osorius hist. Portug. 1. c. 3.* 8.

Absonum est si Fratres vicibus imperitent alternis. Quẽadmodum Patrum nostrorum memoriâ, inter Ioh. Friderici Saxonis quondam septemuiri Filios, cum conuenisset vt alternis gubernarent; maiorque natu, siue ætatis prærogatiuâ, siue ex conuentione prior rebus præfuisset: is postea dulcedine Imperandi illectus, vti putabatur, alteri cedere recusauit. *Thuan. 37. fol. 768.* 9.

In Mexico, non filiis sed fratribus, & filiis fratrum pertinet Regnum. *Hist. India general. lib. 2. c. 76.* Sicut & Rex quondam Vandalorum, hanc Legem Successionis Testamento suo dixit: Fratri vt morienti succederet Frater, vllâ sine controuersia Fratris 10.

tris Filiorum. & post Filios quicunque ex virili prole, proximo cognationis gradu attingeret vltimo defunctum : & ex his qui cæteros præcederet ætate. *vt est apud Procopium lib. 1. de Bello Vandal. & Sigebert. in Chronic.* Ex hâc prærogatiuâ ætatis, in Senatu Romano Demetrius olim contendebat, Regnum Syriæ sibi deberi : æquum esse dicens, vt quemadmodum ipse jure Gentium maiori cessisset; ita etiam nunc pupillus, filius Antiochi fratris, locum sibi daret. Quod Senatus ei rectè denegauit. *Iustinus lib. 34.*

II. Consuetudinem non absimilem in Numidia, & aliis Africæ partibus, & generatim apud Mauros fuisse ; ex Liuio & Ioh. Vasæi Hispaniæ Chronico, Cabotius monstrat *lib. 1. c. 11 f. 66. & seq.* Illustre ego aliud, non ita ante multos quod accidit annos, superaddam exemplum. Muleius Mahametus, Maroci & Fessæ Rex, qui Imperio Merinensium in Mauritaniâ Tingitanâ euerso, primus Regnum in familia Cherifiorum fundauit; ex consilio Procerum sanciuit, vt filij Regis, secundum ætatis sibi inuicem succederēt gradus: vt ita dum ad omnes jus Regni perueniret, dissidiorum contentionum que occasio tolleretur omnis. Et iussit hoc decretum inuiolabile ad posteros seruari; tantum que perfecit, vt Regni Primores iurarent, operam se daturos, irritum ne id in perpetuum redderetur. nec verò Principes tantum; sed & Regij liberi in eandem Legem, conceptis verbis iusiurandum dederunt. At plura antequam dicam, Marocensium & Fessanorum prius subiungam Regiam Genealogiam.

Muleius Xarifius. ex Mahameti prosapia,
Muleius Mahametus Xequus.

Abdallas. Abdelmunen. Abdelmelecus. Hametus.

Mahametus. Banacar. Hazar. Ismaël.

Xequus.

Muleius

Muleius Abdallas Patri ex Lege succeſſor, naturali ductus inclinatione, filio Mahameto Regnum ſtabilire; & cum hoc aliter fieri nequiret, ſecretò cædem fratrum agitare cœpit, & nonnullorum effecit. Abdelmelecus (quod cum heredes de Succeſſione litigant fieri ſolet plerunque) ad externa auxilia confugit, eximiaque gratiâ in Imper. Turcici floruit Aulâ: cuius etiam ope, Abdallâ mortuo, eius filium Mahametum, iã Regni poſſeſſione gaudentem deturbauit. Mahametus Luſitaniæ Regem Sebaſtianum, ad Patrium & Auitum Regnum recuperandum, in auxilium vocauit: at vnâ cum eo victus, in fugâque occiſus, Luſitaniæ inexplicabilem illam Succeſſionis controuerſiam concitauit, & Mauritaniæ Imperium patruo Hameto; cui id Abdelmelecus tenero neglecto filio deſtinârat, relinquere fuit coactus. *v. Hiſt. Belli Africani, in quo Sebaſt. Luſit. Rex periit. Hieron. Coneſtag. lib. 1. & 2. Thuan. lib. 65. fol. 149.* Hameto Anno 602. vitam naturæ reddente, ciuilia iterum inter Liberos exorta ſunt bella: quæ adhuc dum finem, ſic puto, non habent. *v. Emman. Meteranum,* in der Niderländ. hiſt. *lib. 24.*

Et hic notandum eſt, magnum inter Ius πρωτοτοκείας & Maioratũ ſpeciatim ſic dictum eſſe diſcrimẽ. Hoc enim eſt propriè jus Maioratus, quod aliquando ita ſtatuitur in eos, familiæ qui ſunt eiuſdem: vt ſemper natu maximus, maiorque ætate, etiam ex geniculo remotiori ſuccedat. idque eo præcipuè fine, ne vnquam tutelæ ſit locus: ſed proprios ſemper Dominos habeat principatus. *Betſius de pact. famil. c. 8. fol. 461.* Hincque in inſtitutione Majoratus, Repræſentationem eſſe nullam omninò attendendam, Doctores noſtri cenſuerunt. *vti ex Decio, Mãdello & Menochio aſſertat Auct. d ſcurs. exoterici de jure repræſentationis: tract. Iac. à Saa, & Lud. Molinæ, præfixi, fol. 42.* Eſt & Legatum Familiæ, quod Verſchickungen vocant, res vſitatiſſima inter Germanos. & ſemper natu maior vſumfructum ex eâ re prælegatâ ſibi habet, quoad fruitur vitâ: illoq; defuncto, ad

eum deuoluitur statim, qui tunc ætate maximus in familiâ inuenitur; & ita deinceps. *Conr. Rittershus. in partit. Feud. c. 18. ad fin. fol. 260.*

13. Primogenitus quis sit, non est quod anxiè scrutemur; cum verbi indicet etymon, cum esse qui primus est in ordine nascẽdi: *c. qui prior. d. R. I. in 6.* vereq; & naturaliter Primogenitus habetur, ante quem nemo est natus; siue alius post eum natus sit, siue non. *c. Ioseph. d. verb. signif. Molinæ ad consu. Paris. §. 13. gl. 1. à pr.* Adeò, vt si duo simul edantur partu vno eodemque, is qui primus ex vtero prodiit in lucem, quamuis momento temporis alter eum fuerit secutus, prioris ætatis nihilominus gaudeat jure. *Genes. 25. v. 26. & 33. Tiraquel. de primog. q. 1. n. 8. & 9. & q. 2.* Fieri autem per rerum naturam non potest, vt duo simul, pluresve, vno impetu ex vtero matris erumpant. *l. Arethusa. d. statu hom.* & igitur semper poterit esse notum, quis nam ex duobus gemellis primogenitus existat.

14. Quid tamen si in ipsâ natiuitate id incuriosius ab obstetrice atque aliis quæ aderant personis, fuerit obseruatum? quin & gemini, simillimâ ferè etiam sunt formâ, vt nec Mater consuetudine oculorum, semper eos internoscere queat. Quis ergò, uter duorum filiorum prior sit natus cum ignoratur, succedet? Indiuersas abeunt Interpretes partes. Alii vtrumque admittunt; alii excludunt vtrumque; alii digniorem censent eligendum. *Qua de quæstione latissimè tractant Hier. de Cæuallos. opin. com. contra com. tom. 1. quæst. 248. Molinæ d. §. 13. n. 3. & multis seq.* Ego eorum sententiam magis probarem, qui sorte rem dirimi volunt. Non quippè æquum & verum semper videtur Interpretum nostrorum axioma illud vulgatum; Quæstionem tantum juris, non dubium facti, sortitione terminari debere. Nullo id jure probatur: & rationes eædem, quibus in dubio juris ad Iudicium recurritur Fortunæ; æquè militant in incertitudine facti, quòd aliter commodè nequit explicari.

Ius

Ius autem Primogenituræ, semel ab initio legitimè intro- 15.
ductum, non posse à Successoribus in præiudicium Populi (vel Domini, si Regnum sit Feudale) aliis pactis mutari: & in ipsorũ Successorum detrimentum, ne quidem cum consensu Ordinum vel Domini directi, id fieri permitti; expeditum esse videtur. & id demonstrat illustris de Slesvvicensi Ducatu, inter Daniæ Regem & Holsatiæ Duces Anno *1567.* exorta quæ fuit contẽtio. *v. Betsi. tr. d. pact. fam. c. vl. fol. 673. & seq. & sup. diss. 2. n. 14.*

Non multam etiam dubitationem dare videtur, an Filius 16.
Primogenitus, in fratris fauorem, huic suæ prærogativæ renunciare queat? *v. supra diss. 2. n. vlt.* modò hoc fiat verbis disertis, vel actu consensum expressum approbante. *post Tiraquell. Betsium c. 9. f. 469. &c.* Carolus quidem Molinæ. *d. §. 13. glos. 1. nu. 28. &c. & glos. 3. nu. 27.* Primogenito à successione abstinente, non soli tunc secundogenito proximo; sed cæteris primogenituram accrescere ex æquò, nonnullis euincere conatur argumentis; quæ in Regiâ successione vim omnem amittere videntur. non enim ille renunciando vel alio suo facto, vt Regnum diuidatur, potis est efficere: & caussa constitutionis protogonias, vel sola vel præcipua semper est odium periculumque diuisionis, quam nec omnium consensu inducere licet. *remissivè Rosenth. c. 9. concluss. 55. in not. lit. a. ad fin.*

Dissertatio V.

De Mediis ad alendos Secundo-genitos opportunis.

CUM Gentium & Iure πρωτοτοκείας, Primogenitus Patri 1.
succedit; tunc heres ipse imperii solus, Fratres cæteros excludit. Indeq; nostri dicũt Doctores; Primogeniti Legitimam, totum esse Regnum, ita vt etiam ad solum Primogeni-

tum pertinere dicantur res mobiles, thesauri, Bombardæ, fructus item pendentes, annui reditus, bestiæ quæ in syluis vel ruri vagantur, & quæcunq; publicam ad prouinciæ vtilitatem sunt destinata. quod multis rationibus ostendit Dn. D. Henr. Bocerus. *d. succeß. Feud. cap 3. quæst. 49. & seqq. vsque ad fin capitis.* Quod enim Princeps acquirit vt Princeps, Successori in Principatu, non patrimonialibus heredibus debetur. *l. quod Principi. 56. d. legat. 2. l. 1. in pr. d. Iur. Fisc.* Cumque Primogenito, sapiens præuisio maiorum deferat Regnum, publicæque intuitu salutis, quam ex æquo in liberos omnes habent Parentes, propensio negligatur; sanè probabile non est, vel Populum vel Primogenituræ constitutorem, vni Regnum tribuere; eaque sine quibus commodè administrari non potest, adimere voluisse: quæ accessorium connexum, Regnique sequela existunt. Et nõ æquum est, illa quæ ad defensionem, conseruationem, vel amplificationem Reip. conferuntur, ab aliis in priuatos vsus transferri. Qua ratione in Italiâ fratri minori ex potentissimâ familiâ oriundo, Thesauri nostrâ hâc ætate denegatam fuisse diuisionẽ; cum ipsius quidem magnâ indignatione, sed summo jure, refert Nicol. Betsius. *c. vlt. fol. 730.*

2. Porrò cum Regna vel Principatus, aliorum territoriorum accessione quandoque accipiant incrementum; & omnia pariter ad natu maiorem spectabunt. Sicut in Gallia, omnes siue vi, siue successione Prouincias adiunctas, accessoriè Regno incorporare, & eiusdem cum capite naturæ, qualitatis ac conditionis facere solent; & æquè in Primogeniti transdere potestatẽ. Idque naturam vnionis seu incorporationis, imò & æquissimam æquitatem postulare videtur: rarò quippe nisi ope Regnique viribus, Imperium assolet augeri. Estque Nicol. Betsij *c. vlt fol. 679.* à nobis opinatio discrepans, de eo subaudienda casu; vbi natura rei auctæ, diuersa vel incompatibilis est cum augmento.

At

At aliis quâ ratione fratribus erit prospiciendum? non enim ut apud Lacedæmonios olim, pari jure cum civibus aliis vivere volunt. nec etiam satis esse putant, si cum Filiis Davidis Justitiæ Sacerdotes, sive Consiliarii aut primores Regni constituantur. 2. *Reg.* 8. *v. ult. ubi Vatablus & Dn. D. Andr. Osiander.* Ferè nulla fides, nec amicitia inter eos est firma, qui heredes unius sunt Regni: ita ut miraculi loco esse dicat Trebell. Pollio, *in Claudio.* si frares se invicem ament. Materiam ergò hoc nostro in casu subducere tumultus, varii variis aggressi sunt modis. 3.

Maximam Regum esse occidere fratres: hancque eo in loco haberi, quo apud Geometras sunt quæ data vocant & concessa; circa quæ disputatio admittitur nulla; Testis est *in Demetr.* Plutarch. *num. 10.* Primum ferè semper facinus fuit novi Principatus. Quin & ipsi Patres, uni Filio ut tutò Regnum relinquere quirent, cæteros sustulerunt interdũ. Dejotaro Regi plures filii fuere, quorum cum ipse uni relinquere Imperium, atque omne patrimonium cuperet: quò id facilius efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidavit. Vinitorum exemplo, qui cum vitis aliqua complures emiserit surculos, unum modo ex eis relinquere, alios amputare consueverunt; ut is qui relinquitur, major & augustior fiat. *Anton. Muret. 8. variar. cap. penultimo.* 4.

Par est Turcarum crudelitas adversus fratres. Ex Turcarum Imperatorum filiis, si patri quis successit, reliquos mortis manet necessitas nunc inevitabilis: *Camerar.* 1. *medit.* 88. priscis qui ejus gentis moribus, mutuâ se benevolentiâ complecti, & debito prosequi honore solebant. Reliquit enim moriens Osman (à quo & hodiè Osmanidarum seu Ottomanorum progenies) filios post se duos, & in his natu majorem Urchanem; alterum Aladinum Bassam. Erciscundæ familiæ paternæ, cum Comitiis dictus esset dies, Fratrem interrogavit Urchanes, quid

faciundum de hâc putaret hereditate? Respondit Aladin, constituendum ante omnia Regem in ditione paternâ, qui pastoris boni munere fungeretur, incolas Regni benignè regeret & defenderet: huic & equos, & equas & boves & oves omninò deberi, ceu Patrimonium Principis: quando pater etiam militiæ caussâ solitus fuerit hos alere; nullum hoîc se vel hereditatis adeundæ, vel successionis sibi jus vindicare. Quibus auditis Aladinem Bassam denuò compellans Urchan Gasis: Ergò tu mi frater, inquit, Pastoris hoc in te susçipe munus. Nequit hoc fieri subjecit Aladin, quando Pater adhuc superstes, Regium tibi jus, dignitatemque tribuit lubens. Te vivo nihil mihi deerit, cum & frater natu major, & patris mihi sis loco. *Johan. Leunclav. histor Musulman. libr. 4.* Magnum certè documentum, etiam in Barbaro, humanitatis & ciuilis virtutis: Christianis Principibus imitandum. Erant eius ætatis (dicente historico Turcico) homines ita comparati, vt frater consilia sua cum fratre communicaret; quique rectissimè consuluissent, in eius sententiam lubens alter ibat. Nulli mutuis se Parricidijs fratres è medio sustulerunt ante Bajasitis Chanis Imperium, quem Gilderunem appellauerunt. *Leunclav. in Annal. Turcic. fol. 10.* Sed inibi nunc potior est conditio occupantis: & sunt qui existimant, vnicum hoc fundamentum esse Imperij Turcici, ac inter Arcana Domus numerat Clapmar. *s. d. arcan. c. 2.* Non Turcæ Imperij æmulos ferunt, inquit Gislen. Busbequius. *in suo itin. Constantinop.* nec per milites prætorianos omninò ferre possunt. qui, si quis fortè fratrum sit, præter eum qui regnat superstes, cõgiariorum petendorum nullum finem faciunt: si recusantur, statim audis; saluus frater sit, fratrem Deus nobis seruet. Ita Solimannus blanditiis Roxolanæ persuasus (quæ vt filiis suis Regnum pararet, privignis necem procurare satagebat) sic in animum induxit, nihil sibi Relligione antiquius esse debere, ac ne liberorum quidem salutẽ: Musalmanã autem

autem Religionem, Regni tutelâ & Osmanicæ familiæ Imperio contineri; hâc afflictâ, illam stare non posse. Domui suæ non aliunde ab vllâ vi certius exitium imminere; quàm à dissensionibus domesticis: proinde vt domus & Imperium, atque cum Imperio Religio conseruetur, quâcunque ratione, vel cum liberorum parricidio, intestinis discordijs occurrendum esse. his rationibus inductus Solimannus, cum filium Mustafam antè in oculis suis occidi iussisset) etiam in Nepotis consensit interitum. Quin & is adhuc puer & impubes, funestâ aui sententiâ pronunciatâ, ex disciplinâ gentis statim respondisse fertur: se hoc non vt Imperatoris, sed tanquam Dei, cui parere sit necesse, accipere iussum, & cum dicto, ceruicem laqueo præbuit, animo æquo. *Thuan. hist. 12. ad fin.* Ego illud tantum adiungo, quod Diuinæ Maiestati, quod pietati naturali contrarium est, vix diu durare posse. Imò potius huiusce modi moles, nimiâ vitiorum atque scelerum multitudine onerata, ventrem faciet & ruinam minetur. *Clapmar. 5. d. arcan. 5. ad fin.*

Mortem ciuilem, id est Captiuitatem elegerunt alii. Apud 5.
Abyssinos, Regii gentiles & fratres agnatique in unâ quâdam educãtur arce, in monte quæ penè inaccesso sita, & valido præsidio custoditur, turbas aut partes ne facere queant. *Alvarez. in hist. Aethiop. fol. mihi 103.* Sic & Caliphæ (magni quondam in Arabia Reges, & ex prosapiâ Mahometi) singulos ex gentilitiâ ipsorum familiâ qui superstites erant, catenis ferreis vinciebant; singulis sua Palatia intra maximam Regiam tribuerunt, atque singulis horum ædibus, præfecêre custodes, ne quis aduersus magnum illum Regem, nouarum rerum aliquid tentet, obseruantes. Vbi ii conuiuia exercebant, & genio per totam vitam indulgebant. *Benjamin Tudelensis in itinear. f. 61. & seq.*

Nos dum Primogenito in successione attribuimus pri- 6.
mas, adeò iniqui non sumus, ut reliquos fratres, vel relegandos, vel occidendos, censeamus. Sed Baldi JCti Regulam comprobamus

bamus; quâ dixit: In naturâ pari non debere contraria instituî; & inter fratres æqualitatem servandam esse, procedere in rebus privatis; in Regnis vero aliter observari; ibi enim reliquos fratres sat habere, si honorificè sustententur. Siquidem ex bonis Paternis, etiam ex naturæ Lege filiis debeantur alimenta. *Arnisæ. cap. 9. doctr. pol. fol. 218. & seq.* Inde in Aurea Caroli IV. Bulla, licet ea inter Electores Seculares, unâ cum dignitate Electorali, Dominia, Principatus, Ducatus, Protogenio solùm concedat: & tamen conditio adjicitur singularis, ut clementem se ac Pium erga cæteros suos fratres, sororesque exhibeat, atque alimentariam assignet portionem. *tit. 24. vers.* Vnd wa jhm in solchen Sachen.

Et quoque ista Alimenta omninò respondere debent dignitati personæ. Ideo magnificè ut Principes decet, tractandi: ita ut dignitatem suam salvam tectamque tueri queant. Idem docent & nostri Feudistæ: quod sc. licet in Feudo jure Francorum concesso, Primogenitus non sit obligatus fratribus Legitimam dare: tunc nihilominus, si alii non haberent, unde sese sustentent condignè; iis pro ratione Status, prospicere teneatur. *Rosenth. 9. cap. 55. num. 11.* Adeò ut consuetudinem quæ Fratribus nullam portionem relinquit, diabolicam esse dicat Afflictus. *ad c. Imperialem. in pr. num. 7. 17. & c. de proh. Feud. alienat. per Frider.* Modò reditus primogenituræ sint opulenti: non enim est cogendos alienare ex proprietate; sed pro fructuum propotione & ex viri boni arbitratu illa aliementa convenienter sunt æstimanda. *arg. l. mulier. §. cum propeneretur. ad SC. Trebell. Betsius. c. 9. f. 603.*

7. Ferè liberis natu minoribus, vel annuæ pensitationes, vel portio quædam Regni adscribitur certa, quam non Regio teneant nomine: eaque Lege ut ipsis sine liberis masculis decedentibus ad Regnum illa denuò revertatur. Primogenito etiam quodammodo subsunt cæteri fratres; eaque ideo portio omni

omni plerunque caret superiori Jurisdictione: nec alio propè jure possidetur, quàm apud nos viduæ Principes Dotalitia sua. In dotalitiis enim quæ Germani **Widdumb** appellant, duabus potissimum cautelis utendum esse monet Nicol. Betsius. *cap. 5. fol. 181. &c.* nempe (1) ut non præcipuæ aut munitæ arces eo nomine viduis assignentur; sed potius ædificia commoda, & Oeconomiæ idonea. (2) Neplus Jurisdictionis in bonis ejusmodi viduis illustribus tribuatur; quàm ad conservandam dignitatem suam & obedientiam subditorum retinendam, necessarium videtur. Quod itidem hoc nostro in casu, salubri prudentique consilio posset observari. *Betsius. c. 8. fol. 344.*

Ita Josaphat reliquis filiis annuas dedit pensiones, civita- 8.
tes & multa munera auri & argenti, ex quibus regiè viverent; Regnum autem Joramo filio natu majori. *2. Chron. 21. v. 3.* Cyrus apud Xenophontem res suas eo modo ordinavit, ut Cambyses Regnum; qui reliquus erat frater, minutiora nonnulla bona retineret. Qui mos etiam apud Saxones initio statim observatus legitur. Apud eos quippe Primogenitus successit in Ducatu: reliqui verò fratres Dominatus dignitates Impetrârunt. *Albinus* **In der Meißn. Chronick.** *1. tit. 16.* Et fuit in Germania positum quondam in usu frequenti, ut natu minoribus per subinfeudationem, vel usumfructum perpetuum prospiceretur. *Betsius. c. 9 fol. 603.* quæ homagii nomine obtinebant, & de iis primogenito ejusque heredibus, fidelitatem & hominium jurare tenebantur. Cùm è contrà Paragii jure Feudum possideri dicebatur; ubi in Successione pares erant titulo & dignitate omnes: etsi natu maximus, majorem partem quàm posteriores nonnunquàm aufferebat. *Betsius. c. 8. fol. 331. &c.* Quin & in Angliæ, Hispaniæ, Portugalliæ Regnis, in magno etiam Hetruriæ, Parmæ, Urbini, Ducatibusque & Principatibus aliis; minores plerunque fratres, certis annuis reditibus, pro qualitate cujusque Status, contenti esse jubentur.

Illud etiam in hac Successionis inæqualitate usuvenit, & 9.

quod in pactis, vel Statutis constituentibus jus protogoniass simul expressè cavendum videtur: ut Filii secundogeniti, quamdiu ab hereditate fuerint suspensi, titulis renuncient majorum; & minoribus contenti (retento tamen familiæ nomine) sortis bonorumque suorum modulo se haud impares, vel re vel nomine gerant. Quæ sanè juris Primogenituræ nota est præcipua: ut omnes Regiæ, Ducalesque familiæ, in quibus illud apud exteros locum habet, manifestè demonstrant. *Tiraquell. d. jur. primog. quæst. 33.*

Sed vix puto alibi meliùs negotium hocce, quàm Legibus
10. Franco-Gallorum (postquàm in Regno Capevingorum Regalis dividi desiit Successio) explicatum inveniri. Quæ etiam Paradigma esse possent ei; qui Jus Primogenituræ constituere vellet. *De eaque re consulendi sunt. Guil. de Monferrato Catalanus, tr. de succes. Regum. in dubio 2. & seqq. qui auctor habetur intract. tractat. vetust. edit. tomo. 13. Francisc. Hotoman. in Franco Gall. cap. 8. & 9. Bodin. 6. cap. 5. num. 734. Bern. Girard. de l'Estat de France. fol. 352. & seqq. Estienne Pasquier. 2. des Recherch. cap. 14. Tillet. an recueil. des Rois de Fr. fol. 286. & au recueil des Rangs de grands. fol. 123. Nic. Betsius cap. 8. fol. 333. & multis seqq. ac cap. 10. fol. 730. Jeh. Papon. lib. 5. tit. 10. des arrests. Guil. Ranchin. d. §. 10. num. 2. 3. & 4.* Ac est mos Jusque circa illud, ita apud eos Sacro Sanctum, tam æquo animo illi se subjiciunt natu minores: ut cum Henricus Caroli IX. Frater, in Commentariis jam tum necati Collinii maris supremi præfecti, caput & discursum inveniret, quo Regem monebat; ut in assignandâ fratrum portione hereditariâ, & conciliandâ illis auctoritate moderatior esset; haut eò Collinium minus sibi amicum fuisse collegerit: sed apertè fassus sit, consilium illud; non nisi ab homine Regi fido, & rerum ipsius studiosissimo proficisci potuisse. *Thuan. lib. 52. ad fin.*

Portionẽ aũt illam Fratribus quę datur partus posterioris, Appennage appellitant Galli: quasi ad panem & sustentationẽ concessam. *Nicod. in dictionar. maiore.* Sunt qui à Banno deriua-

rtum putãt. quasi Abbannagium: ac si quis partem excluſoriam dicat, **Hindanweiſſung/abbannung.** Et certa inibi prædia Fratribus, Regis arbitrio, fiduciæ nomine fruenda diſtinantur; quib. ſine maſculâ prole defunctis, ea ab omni iure pignorum libera, Fiſco vindicantur. non Imperium ſupremum; non Patronatus, vel jus ad Epiſcopatus, Cænobia & alia quæ vocant beneficia nominandi, ipſis confertur. Idque peſſimo matris ſeruiliter filiis blandientis conſilio, primùm Henrico Valeſio & poſtea fratri ipſius, fuit conceſſum. *Thuan. lib. 62. fol. 103.* Eſt & hoc in Gallijs receptum, vt harum aſſignationum quantitas, in ſolo Regum arbitrio poſita credatur; neque de eius tenuitate conqueri audeant fratres. licet Rex ſuccedens, de ea aliquid defalcare non prohibeatur: vt ſic ipſi contineantur in amore, officio & obſequio erga fratrem maiorem.

II. In controuerſiam hic trahitur, an Principi non regenti, **einem abgeſundenen Herren/** Iuramentum Fidelitatis ſubditi præſtare teneantur: an item eiuſmodi Domicellus, pro elocandâ filiâ, ſubditos Regni collectare queat? De ambobus hiſce dubiis, latè & doctè diſputat Dn. Herm. Vultei. *cons. Marpurg. vol. 3. conſ. 35. per tot.* & poſterius attingit Matth. Stephani. 2. *d. Iuriſdict. part. 1. capit. 7. num. 463. &c.* Hisque gemina eſt, & eodem cuneo findi poteſt etiam dubitatio illa: an Ordines Regni, Regis fratrem captiuum liberare, pro eoque lytrum ſiue pretium redemptionis exſoluere teneantur. In affirmantium partes diſcedunt Vulteius & Matthias Steph. Sed eorum argumenta, ad eum tantummodo caſum quadrare videntur; vbi Frater adminiſtrationem jurisdictionis à ſe abdicauit; non vbi in ſolidum omnem ſublimiorem poteſtatem, jus Primogenituræ defert ſeniori, & nihil præter ſpem futuræ, ex incerto tamen euentu pendentis ſucceſſionis relinquit aliis.

His tandem, argumenti propter parilitatem, ſequentem iungere placuit diſcurſum, Illuſtriſs. cujuſdam auctoris: ante aliquot annos prælo quidem vulgatum; ſed tamen vulgò hodiè vix titulo notum,

Tractätlin//

Wie ein Fürstlich Hauß zuerhalten.

NAch dem Wir mit allem Fleissigen/ Ernstlichen Nachdencken haben betracht/ wie doch ein Fürstlich Hauß/ möge Menschlicher Vernunfft nach/ mit Gottes Hülff erhalte werden/ am bequemsten in seinem Standt vnnd Auffnemmen/ daß in einem Hauß das Haupt respectirt/ vnnd doch die andere Glieder desselben Hauses/ auch Ihre gelürliche Vnderhaltung bekommen/ vnd die Landtschafften nicht beschwert/ oder in Abgang leichtlich kommen möchten.

Also haben Wir befunden / daß zwey Stück in den Fürstlichen Häusern/ eintweder daß einer die Landt allein an sich gezogen/ vnd die andern gar schlechtlich abgewisen / dardurch die andere dann / die eines Stammens vnd Namens sein/ Wenn sie sich in das dritte Glied verheurath haben/ nicht Graven Standt haben führen können/ vnnd zu letzt/ wenn sie wider haben theilen söllen/ Freyherrn oder Edelmans Standt nicht führen können.

Da man darnach hat befunden / vnd Augenscheinlich vermerckt/ daß der jenig/ so daß Heupt deß Hauses hat sein wollen / alles an sich gezogen/ vnnd vnseglichen Pracht geführt/ vnnd in viel Tonnen Goldt die Landtschafft in Schulden geführt / Exemplum / Hertzog von Beyern/ vnd Hertzog von Brandenburg selige/ vnd andere Exempel mehr/ da darnach die Verwandten/ keinem jhren Ampteleuten vnd Statthalter/ haben gleichen Statt führen können.

Darauß Wir denn vnbillicheit vermerckt / daß die/ so von dem Geblüt sein/ vnd dem Stammen zu gutem sich haben lassen abweisen/ solche Güter verschwendet/ vnd mit Pracht außgeführt / daß sie haben weichen vnd nachgeben müssen. Da sie doch eins Geblüts/ vnd so wol Kinder vom Hauß gewesen/ als die andern.

Die zweite Manir mit den Fürstlichen Häusern/ so nicht observirt / ist gewesen / daß man gleich getheilt hat/ dardurch denn die Lande zerrissen.

Vnd so viel Theilung fürgangen/ so viel newer Statthalter/ so viel newer Cantzler/ die Landschafften beschwert/ da sonst die Sachen in vno corpore hetten können versehen werden.

Item//

Item/ Darnach wat genommen/ Daß einer wol hat Hauß gehalten/der ander vbel/ mancher auch zu schwach gewesen/ sich zuhandhaben/ bey dem Seinen/gegen andern angrentzenden starcken Nachbarn.

Vnd derhalben in Kosten/Schaden vnnd Verderben gerhaten/da sonsten/wenn das Corpus bey einander blieben/man denselben Genachbarten/starck vnd gewachsen genug weren gewesen.

Denselben inconvenientiis nun zubegegnen/ die auß allen beeden observationibus herkommen/Auß der Ersten/ da einer es allein nimpt/ vnnd die andere gering abweiset/vnnd auß der andern observation, da sie sich gleich Theiles/Vnd die Lande zerstückelt vnd zerissen werden.

Haben wir derowegen mit allem Fleiß/ alle Vmbstände erwogen/ vnnd zu letzt nachfolgent einig Mittel befunden/ dardurch obgemelten inconvenientiis allen geholffen/ vnnd also dem Vatterland vnd dem Römischen Reich/ die Fürstliche Glieder vnd Stände erhalten werden/ In Ansehens/Auffnemens/vnnd Fürstlicher Einigkeit/daß also Menschlicher Vernunfft nach/ die Zänck/ so in den familiis entstehen/ mit den Theilungen der Güter/ so viel müglich vnnd Menschlich/ fürkommen würden/als nämlich.

Wenn ein Fürstlich Hauß/ ein Gülden zwey/ drey/ oder viermal hundert tausent/ mehr oder weniger Einkommens hat/ daß dem Haupt vnnd nähesten Erben/ ein Gülden Viertzig/ Fünfftzig tausent/ zu seiner Ordinari Hoffhaltung vnnd statt verordnet/ nach Gelegenheit deß Einkommens.

Darnach was Reichs Täg/ Kriegs Täg/ Deputations Täge/ Müntz Täg/ Vnkosten weren/ so man Persönlich oder durch Gesandten besuchen solte/ man ein gewiß Deputat/ auß dem communi ærario auß dem Einkommen darzu deputirt/ vnnd solle das Haupt mit seinen angeordneten/Anzahl/ Landt vnd Ständen/von Ritterschafft vnd Gelehrten verordnet haben/die zu der Regierung tücheig/ welche dem Haupt hülffen/ die Administration der Landen versehen.

Daß doch dieselbige allen den Jenigen/ so zu den Stammen gehörig/gelobt vnd geschworen weren/ denselbigen bewilligten statutis familiæ nach zukommen.

Darnach solte gleicher Gestalt von Rittermässigen vnd Politischen Räthen/die Rechten Cammer/ vnd Finantz Cammer verordnet sein/ die gleicher Gestalt mit Eydspflichten/ auch den gantzen Stammens Verwandten zugethan weren/ vnnd alle Jar Rechnung/ aller Einkommens

vnd Vorraths der gantzen familiæ gethan/vnd als sie das commune ærarium totius corporis vnderhanden hetten.

Vnd als Erstlich dem Haupt/sein Järlich Deputat/allwegen ein Jar vor auß erlegt. Dem andern Stammens Verwanten / nach dem das Corpus groß/ einen Gülden zehen tausent/ einem dem Verheurath were/zu vnderhaltung seines stats.

Vnd dem welcher vnder denen Manliche Sön bekähme / dem solte man ex communi ærario, daß erste Jar ein Leib Gelt geben/ein tausent Gülden biß auff sein sibendt Jar.

Vom siebenden Jar an/sol man Jme geben drey tausent Gülden/ biß auff das zwelffte Jar seines Alters / weil er Hoffmeister vnnd Præceptor haben muß/vnd sie magnanimiter erzogen werden können.

Vom zwelfften Jar jhres Alters / solt man Jhme vier tausent Gülden/biß auff das 17. Jar seines Alters geben / weil man Jhne in frembde Lande verschicken muß.

Vom 17. Jar seines Alters/ biß auff zwentzig Jar / soll man Jhme 5000. Gülden verordnen/weil man Jhnen im Raissen / vnd per Lustirung der Königreich vnd Fürstenhöue/verschicken solle.

Im 20. Jar seines Alters / weil die Leut nur mehr nicht alt werden/soll man Jhme 8000. Gülden Deputat geben/ biß auff 24. Jar seines Alters.

So bald er sich aber verheurat/ehe Er 24. Jar alt ist/ sol man Jhme 10000. Gülden Deputat geben.

Vnd wenn er Kinder bekompt / gehalten werden in der Ordnung wie obgemelt.

Wenn er aber die 24. Jar erreicht / vnd sich nicht verheurat hat/ so sol man Jhm doch/von derselben Zeit an/hinfürter seine 10000 Gülden Deputat verordnen vnd reichen.

Solcher Modus sol gehalten werden / so wol von deß Haupts Kindern/Als der andern Kindern.

Ausserhalb daß/nach deß Haupts/als deß Vatters Todt/der Elteste Son/so tüchtich zur Regierung/in seines Vatters / als gewesenen Haupts Deputat eintrit.

Was nun die Töchter anlangt/sol man 400. Gülden auff ein Tochter Järlich verordnen/so lang jhre Eltern leben.

Wenn aber jhre Eltern gestorben/ sol man jhnen zu vnderhaltung 1000. Gülden Deputat geben.

So

So sie sich verheurahten / sollen sie mit 2000. Gülden Heuratguts vnd 10000. Gülden für Kleider außgesteuret werden/vnnd sechs tausent Gülden für Hochzeit kosten.

Was nun anlangt die Verwidung der Fürstin / so sie sich in das selb Geschlecht verheurathen / sol man jhnen nicht mehr schüldig sein zuuerwidumen ex communi ærario, als Dreissig tausent Gülden.

Nach dem auch die Haupt Regierung bey dem Haupt bleibt/vnd den Landregierungs Rähten / so sol das Haupt nicht macht haben / einiche Schatzung auff das Volck zulegen/ ohne verwilligung der mehrern Theil der Jenigen Fürsten/so verheurat sein / vnnd der Jenigen/so vier vnnd zwentzig Jar erreicht / Sie seyen verheurath oder nicht.

Also sol auch durch keine Versatzung/ oder Auffnemmung Gelts daß commune ærarium vnnd die Landtschafft beschwert werden.

All zehen Jar/ sol das Geschlecht ein Jubel Jar haben / daß man von dem Vorrath/so man erspart/ nur den vierdten Theil / theile/ auff die Capita Manns Stammens/ sie seyen Jung oder Alt / doch daß das Haupt zwey mal soviel bekömme/als deren Einer.

Vnd denn nach ermässigung aller Verwanten / dieweil er denn Kost träget/deß gantzen Landes/ In demselben zehenden Jubel Jar/ ein Jar Deputats vorauß nemmen.

Nach dem auch einem in familia Glück fürstehet/ so solle man Jme ein mal für alle / wenn er seine zwentzig Jar erreicht/ nicht abschlagen/ so es im Vorrath/ein hundert tausent Gülden/an ein Ehrlichen Krieghandel anzulegen / vnnd fürzustrecken / doch daß er allwegen sein halb Deputat Järlichs daran wider abgehen lasse / so auff Seinen statt verordnet.

Daß Haupt aber mag zwey mal hundert tausent Gülden/solcher gestalt auch empfahen / daß er wider den vierten Theil seines Deputats lasse abgehen/biß die Summa dem ærario wider ergentzt.

Nach dem auch einer sich verheurath / soll man Jhme mit wissen vnd willen der familiæ/ein par Heuser eingeben/vnnd den Vnderthanen jhre gewisse Frön verordnen / damit sie nicht vber die maß beschwert/ daß er den sein Jagens/Fischens / vnnd Beholtzigung zugebrauchen/zu notwendigen Gebäwen/auch ein Gülden 15000. Baw Kosten an die beyde Ortter angewendet/damit Er eine Fürstliche Behausung haben möge.

Doch sollen die Vnderthanen / vnd die Einkommens Jhme angeschlagen werden/vnd Jhme an seinem Deputat abgehen / vñ die Rätmeister das vbrige in commune ærarium liefern.

Man

Man sol auch von den zehen tausent Gülden Deputat/ so man den Jenigen gibt so verheurat/vnd den Jenigen/ so 24. Jar erreicht/2000. Gülden für Frucht/2000. Gülden für Wein/ für 2000. Gülden Habern in billichem Werth/in einem gemeinen leidlichen Taxa ex communi ærario geliffert werden/ so ferren er es begert / vnnd in welchem Jar. doch das allweg auff den Jars Tag/ Er sich erkläre / ob er das Gelt oder die Frucht vom communi ærario haben wolt.

Alle die so in familiam gehören / sollen alle Jar zwey mal zusammen kommen/jedes mal acht Tage bey ein ander verbleiben / von den familys Sachen zu reden/vnd sich mit einander zu ergetzen.

Vnd soll keiner mehr als vier vnnd zwentzig Pferdt / für sich vnnd seine Söhne/oder auffs höchste dreissig zugelassen werden/mit zubringen.

Vnd sol also die Hoffordnung gehalten werden/ mit Zucht / Erbarkeit/vnd Respect/wie sich gebürt/ vnd darauff auch gebürende Straff vnd Ermanung vnder jhnen selbst/von Lastern vnd Vntugenden/fürgenommen werden.

Es solt auch ein Haupt Fürsten Schul im Landt angerichtet werden/da sie Jhre gemeine Præceptores,neben den Priuaten haben / Jhre general Hoffmeister / Jhre general Musicam vnd Meister / die sie lernen können/ Jhre general Fechtmeister/ Jhre general Marstal vnd Bereuter/daß sie lernen reuten/ Jhre general Personen / von vnderschiedlichen Sprachen zu lernen / Jhre general Zeughauß / lernen mit Fewerwerck vnd Geschütz vmb zu gehen/Jhre general Rüstkammer/zu allem Ritterspiel vnd Turnir/etc.

Da denn etliche von den Verwanten darzu Deputirt/die auffsicht sollen haben/daß dieselbige exercitia gehandhabt/ vnd mit Zucht vnd Erbarkeit/auch mit discretion der Alten geübt vnd gebraucht werden/vnnd als die Jenige Fürsten/zur allen Tugenden aufferzogen werden.

Vnd dieweil die Schulen in Literis & Armis Politisch sein/so sol einem jeden sein Religio frey stehen/ Doch daß er nicht darvon Disputire oder Zanck erwecke/wie solches denn mit einer genanten Straff gestrafft sol werden / auch die Jenigen abgeschafft / so sich der Ordnung nicht gemeß halten wollen.

Denn man den heiligen Geist sein Strich vnnd Macht sol lassen in Gewissens Sachen / vnnd wirdt ein jeder Vatter wol wissen / was er für Præceptores seinen Kindern / vnd in Religions Sachen adiungirn solle.

Sonsten

Sonsten sol nicht mehr / als die Augspurgische Confession/da zu predigen geduldet werden.

Es sollen auch zweyerley vnderschiedliche comprimiss verordnet/ in familia eins/ in grauioribus, mit lengern Termin / daß andere gar summariè in leuioribus, darbey auch die Verwanten sollē bleiben/ vnd sich an kein ander Gericht nicht ziehen / Sonder wo einer beschwert/ für die Land Stendt vom Adel / sich ziehen vnd referirn / Sie auch ein summarium processum haben sollen / die Vrtheil zu reuidirn / Wenn einem bey der familia/ in dem Vrtheil Vnrecht geschehen were.

Bey welcher letzten decision / sie auch schuldig solten sein/ zu acquiescirn.

Was nun anlangt/ das andere genachbarte Fürsten / der familiæ Eintrag thun/ mit Krieg oder andern Abzwackungen / solle die gantze familia schuldig sein/ communicato consilio/ sich zu defendirn.

Wo auch einem ex familia ein Schmach an seinen Ehrē begegnet/ solle die gantze familia schuldig sein ex communi ærario sich desselben an zunemmen.

Was aber Schmach Sachen sein / so sie in familia selbst zusammen thun/ sollen auff den zusammenkunffts Tagen/ die Schmach Redē ex officio auffgehaben werden/ vnd der Jenige/ so Vnrecht hat/ an seinē Eins/ Zwey/ oder drey Jārigen Deputat/ alle Jar etwas abzuziehen/ vñ zur Straff einzubehalten/ condemnirt werden.

Es sol auch keiner dem andern/ seine Diener nicht schmehen / sondern sollen dieselbe Sach / auff den zusammenkunffts Tagen / durch die verordnete Rähte/ vertragen werden.

Es sol auch keiner einem seine wissentliche Feinde nicht beherbergen/ noch behausen/ noch einer deß andern/ sich mit der That annemmen/ vnd welcher thette wider diesen Articul/ derselb sol an seinem Deputat/ nach erkantnuß/ wie obgemelt/ gestrafft werden.

Es sol auch keiner kein Vhed oder Freundschafft anfangē/ für sich selbst/ oder sich in Bündnis begeben. Der Meynung daß jhme von der familia sol geholffen werdē/ es sey denn communicato consilio geschehen.

Nach deme auch gut / das etliche vnder den Fürstlichen Heuser sein / die den Kriegs Sachen nachziehen / sol man jhnen nach Gelegenheit ex communi ærario, zur außrüstung zu Hülff kommen.

Auch so einer in einer Schlacht/ Scharmutzel/ Sturm / oder in Besatzung gefangen würde/ mit 30000. Gülden zu Rancioniren schüldig sein/ ex communi ærario.

Wenn aber das Haupt gefangen/ soll man Ihn mit zwey mahl hundert tausent Gülden zu Rancionirn schuldig sein/ ex cõmuni ærario.

Dieweil nun mit solchen obgemelten Ordnung/ ein guter Anfang gemacht khan werden/ ein Geschlecht mit Landen vnd Leuten/ in Flore vnd Ansehens zu halten/ auch andere Fürstliche Haupter/ Ihre Kinder da han begehren verheuratet werden/ daß sie wyssen/ daß Ihre Kinder vnd Kinds Kinder ad infinitum können Fürstlich erhalten vnnd erzogen werden/ mit allen Fürstlichen Tugenden vnnd exercitiis so würde das commune ærarium, ehe daß Geschlecht vermehrt/ Dieweil man alles mit Vorrath/ vnd Fürsichtigkeit handlet/ sehr gemehrt werden.

Im Fall aber das Geschlecht sich so gar vermehrte / daß es das ærarium nicht mehr ertragen köndte/ so solle doch dem Haupt sein Deputat bleiben/ vnd an andern Deputaten nach Notturfft pro rato abgezogen werden.

Es sollen auch moralia Sonderlich in dem Geschlecht begriffen werden/ Wie die offentliche bekantliche Laster vnder jhnen gestrafft/ damit der Segen Gottes desto lieber bey Jhnen ob solchem Hauß bleibe.

Es sollen auch allwegen ex familia verordnet werdē/ zu abhörung der Geistlichen Verwaltung/ damit dieselbe Güter auch nicht dissipirt/ Sondern zu der Fürstenschul/ vnd andern Schulen/ Ja Gottesdienst vnnd Allmosen angelegt werde/ nach verordnung deß Jars/ Jhr zusammenkunfft der Verwandten.

Vnd sollen in den Versamlungen vnnd Ratschlägen/ die Jenige so sechtzehen Jar alt sein/ mit eingezogen werden/ Auch wo Empter ledig/ zu Emptern gebraucht werden/ zu Hoff vnd auff dem Landt. Doch daß sie eben in dem Dienst vnnd Pflichten seyen/ wie andere so vormahls die Empter versehen haben.

Die Hochzeiten sol man ex communi ærario erhalten/ doch mit erkäntnuß dero Stammens verwandten/ mit mittelmässigem Pracht/ Nachdeme man sich an ein stattlich Hauß verheurat / oder es stehet in freyem Willen des Hochzeiters/ oder der Vertrawten/ ob Er die 10000. Gülden wolle nemmen/ die Hochzeit zu halten/ Oder ob es die Verwanten lieber geben wollen.

Allwegen auff eines Sons Kind Tauff/ soll man 2000. Gülden ex communi ærario geben.

Zu

Zu einer Tochter Kinder Tauff Funfftzehundert Gülden.

So das Haupt auff die Reichs Täg verordnet würde / oder ein Fürst auß den Verwanten selbst dahin ziehen wolte/ dem Keyser auff den Dienst zu warten / sol man Jhme ex ærario , Alle Monat ein tausent Gülden zu stewer geben/ doch daß die Hauptsumma nicht vber 10000. Gülden belöffe/ Dem Haupt aber sol man funfftzig tausent Gülden ex communi ærario verordnen.

Vnd die andern Verwandten / die auff den Reichstag zur Lehen/ Wo müglich/ mitziehen.

In Reichs Räthen / Visitations Tägen/ Kriegs Tägen/ solle einem jeden/ der Verheurath ist/ oder 24. Jar erreicht/ bevor stehē/ sein Votum zu geben.

Vnd so er selbst da erscheint / ein Wochen 150. Gülden zu seinem Staatt verordnet werden.

So er Gesandten schicket auff 3. oder 4. Personen/ auff jeden Tag 20. Batzen für Jhne vnd sein Pferdt.

Vnd solches damit /daß Fürsten selbigen Geschlechts/ Deß Vaterlandts Sachen lernen verstehen/ vnd in acht nemen.

Dieweil auch solchs Gut/ Wenn viel in familia wehren/ daß man zwen oder drey am Keyserlichen Hoff erhielt/ solle jhnen zu jhrem Deputat/ nach eines jeden Eigenschafft/ ex communi consensu familiæ, etlich tausent Gülden adiungirt werden.

Wie denn auch Rathsam/ daß bey den andern Königlichen vnnd Christlichen Potentaten/ auch zum wenigsten einer erhalten würde/ damit wenn Krieg fürfiele/ zwischen den Potentaten / man jederzeit dieselbe familiam als neutralem beschicken vnd besprechen köndte.

Auch die Correspondentz von allen Orttern vnd Königreichen in die familien kömen.

Wenn auch einer zu einer Königlichen Dignitet erfordert würde/ So solle die gantze familia / an einer Tonnen Goldt/ drey oder vier / so sie in communi ærario fürhanden/ schuldig sein Jhme fortzuhelffen / vnnd Beystandt zu leisten/ mit Jhren Ansehens vnd Legationen, auß jren eigenen Geschlechten.

Wo auch sie köndten zu Bisumben gebracht werden / Sollen die Freundschafft den selben die Handt bieten / vnnd ein Gülden 30. oder 4000. tausent Gülden / zu honorariis, vnd denselben Vnkosten ex communi ærario erlegen.

Es sollen auch Klöster verordnet werden/ die Fürsten vnnd Frewlein/so sich nicht verheurathen wollen/frey zu haben / sich daselbst ein zustellen/auch nach jhrem gefallen/ wider herausser zu ziehen.

Wo aber Vnzucht von einer vermerckt/ solle dieselbe mit Rath der Freundtschafft eingezogen werden / doch sol man modum nicht excedirn/ weil wir alle Menschen.

DISSERTATIO VI.

DE REGNIS DIVISIONI, EX LEGE VEL CONSVETVDINE OBnoxiis: & quid heic in Germaniæ Ducatibus, comitatibus &c. receptum.

1. QVAMVIS autem quæ de Successione Primogeniti hactenus dicta fuêre ; generaliter in quocunque Regno, Ducatu, Marchionatu, Comitatuque, jure consuetudinario generali comprobata , & eiusmodi dignitates rebus indiuiduis annumerari censeat Crotus. *cons. 217. n. 96. vol. 2.* sunt tamen quædam Regna diuisioni obnoxia, nec vni obueniunt soli: tam hereditaria quæ sunt, & ad quæ propriatim ea qualitas pertinere videtur; quàm etiam legitimam quæ habent Successionem.

2. Et sunt qui ob scandalum & bella rixasque , etiam vbi aliàs non licet, diuisionem fieri concedant. *Tiraquell. d. primogen. q. 4. n. 60.* Et sic Pausanias in Atticis scribit, Alcetæ filios inter se dissidentes, non prius concorditer regnasse, quam æqualiter inter se Regnum partiti fuisset. Sub stirpe Merovingorum Caroli norumque, diuisio susceptа in Galliis non semel. & velut in Tetrarchias distribuerunt Clodovei, ac item Clotarij liberi: Dagobertus æquâ lance inter duos filios moriturus dissecauit

Regnum

Regnum. Carolus Magnus Imperii sui heredes filios reliquit, trinaque partitione totum Imperii corpus diuisit ; & quam quisque illorum tueri ac regere debeat portionem, designauit. *Goldast. in constit. Imperial. fol. 10. tomo 1.*

3. Et quandoque inter fratres dispertiendum meritò Imperium videtur: plura si id Regna contineat diuersa, commodam quæ recipiunt diuisionem, vel locorum interuallis disiuncta, nec sibi ita sunt adunita, vt vnius Reip. nomen mereantur. *v. Betsium c. 8. fol. 346. & adde Bodin. 6. d. Rep. c. 5. num. 736.* Quomodo ab Hispaniis nuper Belgium avulsum, & Filiæ dotis nomine datum fuit à Philippo II. Et quoque iam antè, pactis nuptialibus Philippi secundo, & Mariæ Anglorum Reginæ, cauebatur: vt Carolus natu grandior, Philippi ex priore matrimonio filius, in omnia tam patris, quam Cæsaris avi, Italica & Hispanica Regna; quicunque verò ex nouo hoc matrimonio nascentur, in omnia Regna ac Dominia Reginæ, & præterea in omnes Belgij & Burgundiæ, quos Cæsar possidet succederet Principatus. *Thuan. lib. 13. fol. 269.* 4.

Nec est quod dubitemus, quin Neapolitanum Regnum & Ducatus Mediolanensis, commodissimè iungi, ab Hispanico dominatu liberari, ac Filio cuidã Regis Hispaniarũ contradi queat. Ita quãuis Feudi Ducatus, Comitatus &c. prohibeãt diuisionem; eandem tamen concedunt nostri Doctores: quando plura loca & castra in huiusmodi Feudo inueniuntur, quæ separatam habent iurisdictionem. *Curt. sen. cons. 68. numer. 14. Boër. decis. 204. num. 29. Tiraquel. d. Primog. quæst. 4. n. 46. & 48.*

Notoriâ quoque Germaniæ consuetudine (quam & in Lombardiam alij, vt & in Galliam extendit Rebuffus. *tr. Feud. num. 27.*) in familiæ erciscundę Iudicium, Principatus itidem, & maiora alia cadere Feuda; Liberosque si plures sint, tam quoad Iurisdictionem & administrationem, quam bonorum & vtilis dominij ratione, capere partes, nec alter in alterius portione, a- 5.

liquid Iuris habere: latè probat Andr. Knichen. *tr. d. Sax. non provoc. jure. ad verbum, Ducum. cap. 3. per totum. Rosenth. cap. 9. concl. 56. & seq. adde Grævæum 2. conclus. 153. Ioh. Rudinger. quæst. Feud. lib. 1. quæst. 51. & seq.* Parili cum iure, & vniformi dignitatis gradu notâque, **Für sich vnd jhre Leibs Lehens Erben/** plerunque inuestiantur: omnesque sese de totâ dignitate, Duces nempè, Marchiones, Comites &c. soleant nominare. Hinc porrò deducunt, ei incumbere onus probandi, qui in Germaniæ aliquo Principatu, Ius Francorum, vt juri Feudali incognitum, & speciale atque à Franciæ Regno originem ducens, locum tueri contendat. Hodierno etenim tempore, jus Longobardorum in Feudis prævaluisse: idque etiam clarè ostendere Matriculam Imperialem, in qua familiæ aut lineæ integræ (**Stammen**) plerunque soleant cõiungi. veluti: **Alle Graffen zu Nassaw Saarprůkhen/ Nassaw Katzenelnbogen/ Jtzstein.** &c. **Alle Graffen zu Hanaw Müntzenberg.** *Betsius c. 9. f. 543. & seq.* Adstipulatur doctrina Fulv. Paciani. *tr. de prob. at. vol. 2. cap. 36. num. 11. & c. f. 120.* & Matth. de Afflictis. *ad c. 1. §. præterea Ducatus. n. 23. vers. Quinto quæro. de proh. Feud. alienat. per Frider.* qui docent: quãdo Feudum dignitatis, vel aliud, cõpetit Primogenito soli, tunc onus probandi incumbere ei, qui se Primogenitum dicit; & pariter, quod ad Feuda quæ prætendit, non queat nisi primogenitus peruenire: cum Regula in contrarium extet, vt omnes filij æqualiter admittantur. Quo & respectu à Keckermanno, *pol. 1. c. 4. fol. 115.* hâc in parte, inter Monarchiam magnam & paruam, proditur discrimen.

Neque his refragari Paragraphum. præterea Ducatus. *c. Imperialem. d. proh. Feud. alien. per Frid. in vsib. Feud.* nec inibi, in maioribus Feudis de jure Primogenituræ aliquid disponi; sed tantum vasallis, eorum diuidendorum facultatem ademptam esse, multis elucidat Clarissimus Betsius *c. 9. fol. 539. & seqq.*

At

At nihilominus Imperatoris Creatorum dignitas, ex Caroli IV. lege respuit diuisionem. *Aur. Bullæ. c. 7. àpr.* idque ne numerus Electorum augeatur, vel inter plures dissensio facilius suboriatur. Et hęc tamen sanctio, generaliter ad omnia bona Electorum, quæ alio quam Electoratus titulo possidentur, neutiquam extendi, aut ad nuda alimenta restringi, à Dn. Betsio notatur. *c. 9. fol. 605.* 6.

Est & statutum Austriacæ familiæ: vt Primogenitus solus in Archiducatu succedat, reliquorum fratrum iure suspenso. **Daß der Elteste vnder den Hertzogen/die Herschafft des Landes haben soll/ vnd nach jhme sein eltester Sohn erblich/ doch also/ das es von dem Stammen des Geblüts nicht komme: vnd das diß Hertzogthumb nimmer getheilt sol werden.** *Munster. in Cosmograph. 3. c. 399. Goldast. tomo. 1. constit. Imperial. fol. 86. num. 13.* Est & aliorum locorum ac familiarum publicis legibus, vel singularibus priuilegiis, æquè diuisio ac alienatio interdicta. Et ita in Sabaudiâ, Lotharingiâ, Bauariâ, Ducatuq; Brunovicensi Ditionis VVolfenbytelicæ introductum proditur; vt genituræ secundum ordinem vni soli cedat inibi Principatus.

Prætexunt & ius Primogenituræ, Partitionisque prohibitionem, qui nunc Iuliacenses & Cliuiæ prouincias possident Principes illustrissimi. Postquam enim Anno 1496. occasione nuptiarum Mariæ Iuliacensis & Iohannis Cliuensis, vtrorumq; dominia ac principatus, ex pacto Principum cum subditis, vniri cœperunt, Maioratus simul ius iis est illatum; vtpote sine quo eorum vnio haut conseruari, nec ad posteritatem poterat transmitti. vnde id ipsum ius coniuges prædicti, eorumq; filius Dux VVilhelmus, vterque successivè in suis Antenuptialibus dispositionibus inter liberos, obseruarunt studiosè; successiones iuxta illud formando, dirigendoque. Quamuis Auctor Discursus (quem ipse verè Iuridicum nominat) de successione Iuliacensi, *fol. 18.* Auctoribus huius vnionis (VVilhelmo nimirum & Iohanni, 7.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [73] - 67

hanni, Iuliæ & Cliuiæ Ducibus, socero & genero) nunquam in mentem venisse dicat, terras suas vnire, & indiuisibiles reddere; sed fœdus perpetuum & hereditarium, pro se suisque subditis inire, vel potius iam dudum à Maioribus suis initum, semperq; inuiolabiliter custoditum, renouare. Quod mihi vix verosimile videtur.

8. Itidem inclytus hic VVirtembergicus Ducatus, hac sub qualitate verborum, ab Impp. in Feudum est concessus; **Daß die Herschafft zu Würtemberg/zu ewigen Zeitten/von Erben zu Erben/von einem Hertzogen zu Würtenberg auff den andern/vnd allwegen auff den Elteſten ehelichen Manlichē leibserben/vnd nach eines Eltisten absterben/auff desselben elteſten Sohn vnd** Descendenten/ **vnd also** consequenter **fallen solle.** Vti hæc prolixè, in antiquis familiæ Ducatus VVirtembergici pactionibus, Vraci Anno 1473. & Minsingæ Anno 1480. erectis, & à Friderico Imp. Anno 84. & 92. Regeque Maxæmiliano I. Anno 1495. confirmatis; adnotata inueniuntur. *referēte Dn. D. Ioh. Iac. Plebst. amico meo. in disp. de iure locali VVirtemb. 3. thes. 33.* Huius etiam iuris vigore, illustrissimus olim Princeps Vlricus, vnâ cum VVurtembergico Ducatu, Montpelgardēsem sibi seruauit quoque Comitatum, Reychen VVeileranâ ditione Georgio fratri attributâ: ac demū Christophor", post obitū Vlrici parentis, Patruo integrū Mōtpelgardiæ Comitatum, & præfecturæ Neoburgensis reditus satis amplos fruendos, liberalissimè concessit. *Dn. D. And. Osiander in orat. funebri Dn. Friderici Duc. VVurtemb illustriss. fol. 33.*

Imò diuisio quoque, apud quas familias vsu est compro-
9. bata, certis plerunque conditionibus fieri solet: vt quod aliquādo commune Iudicium appellationis, vel simile quid constituatur, quo vnitas territorii retineatur. Sæpe inter fratres illustres, commoditas territorii separatur; exercitium vero Iurisdictionis in Seniorem cum quodam emolumento transfertur. Aliquando

siquando fratres annis alternis, vel triennio quoque Prouincias administrant. *Ioh. Lauterbach à Noscovvitz, in Principe Christiano. c. ult. nu. 131.* Apud quosdam Principes & Comites, duobus natu maximis fratribus, concessæ fuerunt Prouinciæ omnes distribuendæ: reliquis fratribus, mediante assignatione certorum prouentuum â gubernatione & successione exclusis. vti apud Hassiæ Landgrauios, & Comites VValdecciæ fuit vsitatum. Ita vt non omni exceptione maius videatur illud pronunciatum; In Germania, Ducatus & similia territoria, ex generali cõsuetudine, masculis heredibus cedere ex æquo; probationisque onere prægrauari, aliud qui velit obtinere: cum quæ consuetudinis vel Præcipuum habetur requisitum, actuum cõformitate destituamur.

Nil tituli hîc paritas operatur: cum & ipso Nicol. Betsio 10.
asseuerante; *c. 8. f. 341.* multis Germaniæ in locis, natu minores à Successione arceantur, vbi tamen nominis & inscriptionis imparitatem nullam videmus.

Extant itidem apud Goldastum, *tom. const. German. fol. 31.* 11.
& v. eiusd. Rationalia. fol. 308. Leges quædam Germanicæ admodum vetustæ, **Kayserliche Landt vnd Lehenrecht**: vulgò **Schwabenspiegel** indigitatæ: vbi *cap. 20.* hæcce verba legũtur. **Man mag kein Fürstenampt mit recht zweien Mannen geleihen. Geschicht aber es/ ihr jetweder mag mit recht nicht ein Fürst davon geheissen noch gesein. Also mag man weder Marggraffschafft/ noch Pfaltzgraffschafft/ noch Graffschafft die getheilt were/ so haben sie jhren Namen verlohren.** 12.

Non omnes filios masculos, in Feudum succedere Regale, sed Primogenitum solum; egregiè defendit Dn. meus Collega Bocerus. *d. succes. Feud. c. 3. quæst. 47. per tot. f. 302. & seqq.* Et inde Gunther. *lib. 8. Ligurini,*

Marchia seu Comitis possessio, siue Ducatus,
Integra permaneant. Feudalia cætera multis
Participanda patent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [75] - 69

Quod & porrigunt eò vsque, vt secundum Beneficiariam Legislationem, maiora Feuda, dignitatem habentia adnexam; nec etiam consortibus adstipulantibus diuidi queant.

13. Et sanè eiusmodi si Feuda, inseparata relinquerentur omnia generatim, ex re & dignitate Imperij magis fore; partitionisque submotionem, melius rectius excelsæ splendidæque gentis tuituram decus: cuius vtpotè columen, si membratim discerpitur hereditas, facilè subuertatur, & nec aduersariis sufficienter resistere queat; commodè monet Gail. 2. *obs. 153. num. 2. neruosè Dn. D. Bocer. dict. quæst. 48. fol. 302. Eber. à VVeihe tr. de succes. prærogat. G. 7. facie 2.* Ad hanc quidem rationem vtilitatis publicæ, Dn. Nic. Betsius *cap. 9 f. 534. &c. & fol. 568.* respondet. Sed interim indubitatum est illud; cum Germaniæ Monarchia, Aristocraticis ferè Legibus regatur; ipsi Imperio, ad tuendam libertatem communem, & statuum priuilegia conseruãda magis expedire, potentes & quam fieri potest vnitos Ordines habere. Quod magnum arcanum esse nostræ politiæ, vel me tacẽte perspiciunt qui eius non ignari existunt.

14. Hocq; Principes reformatæ qui sunt assectæ Religionis, ad animum vt reuocẽt cum primis, maxumè commodũ videtur, quibus nempè, Ecclesiasticarum dignitatum amplissimis gradibus, liberis suis prospiciendi occasio denegatur; & frequentioribus indè diuisionibus eorum territoria obnoxia existunt. Ecclesiastica certè Collegia, in quæ non nisi Illustres & Nobiles recipiuntur (die hohe Stifft vulgò indigitata) eo præcipuè fine instituta, luculenterque olim dotata fuisse apparet. Familiæ vt generosæ, numerosâ prole abundantes, habeant receptum, cui tutò & commodè Liberos committere queant: ne Paternæ hereditati simul omnes incumbant. Inde fuit Monasterium in Helvetica Eremo (zum Einsidel) Principum Hospitale nominatum. *Ioh. Stumpff.* In der Schweitzer Chronick. *lib. 6. fol. 165. fac. 2.* Et fuit modus hic conseruãdorum in integritate suâ Principatuum

cipatuum Comitatuumque Imperij, adeò seculis superioribus vsitatus; vt aliquando etiam Principes, sorti, vel Virginis arbitrio, matrimonium permitterent ac Successionem. *Betsius c. 8. f. 390.* Licet non immeritò Iacob. VVimpfelingus *in Catal. Episcop. Argentinens. sub Vita Burgkhardi de Lutzelstein, Antistitis 74.* reprehendat Parentes, qui filios suos, ad conseruandam Familiæ dignitatem in Monasteria detrudunt. Credibile est, inquit, multos olim filios suos tradidisse, vel Monasterio vel Ecclesiastico statui, ne paternæ hereditatis essent coheredes, & filii seculares exaltarentur, & familiæ propagarentur. Quod si genitores Deo vniuersali confisi essent, & filios suos frugaliter viuere instituissent; hodie forsan ipsorum progenies subsisterent, nec essent prorsus extinctæ. &c.

Non proindè præter magnam iustamque rationem, Anno 66. Augustæ, A. 75. Ratisbonæ, in Conuentu Electorum, & sequenti Anno in publicis Comitiis, Comites & Barones in tractu Rhenano, Franconiâ, aliisque locis Augustanæ confessioni addictis; obnixè petierunt, vt ipsis pariter, ad Canonicalia eiusmodi Beneficia, via sterneretur. *Quorum script a collegit Francisc. Burckhard lib. 1.* **von der Freistellung.** *c.* 3. Licet autem nec Cesarea Maiestas, nec alii Romanę Hierarchiæ nimium fauentes Imperii status, æquissimæ huic (vt videtur) implorationi, beniuolas præbuerint aures. quamuis etiam Romano Catholicorum artibus fuerit effectum, vt Equestris ordo (**die freye Ritterschafft**) vel imprudentibus vel malis consultoribus vsus, illustrem hunc impediuerit conatum. *vt videri potest apud Fr. Burckh. d. c. 3. ad fin.* Quamuis item, innumeris ferè argumētis, quæ in vnum fasciculum cōgessit Fr. Burckhard. *d. tr. lib. 3. c. 20. & c.* non solum contradixerint Catholico Romani: sed & ex nostratibus nonnulli, satiniquos æstimatores, huius se præbeāt litis. *v. Iust. Springerum d. Pace Relig. c. 6 fol. m. 63.* Attamen ère Christianâ magis foret; vtriusque si Religionis Comites & Barones, 15.

rones, horum Beneficiorum participes, & hâc quidem conditione redderentur, vt sacram contra nominis Christiani hostes, obire militiam tenerentur. Quales Milites haud pauci in orbe sunt Christiano, & accensentur Religiosis; licet haut inter Clericos cooptentur. *Ioach. Stephan. de iurisdict. 4. c. 10.*

16. Catholici, omnia tuta timentes, vereri se dicunt, vt matrimonia contraherent Lutherani, & porrò bonorum Ecclesiasticorum distractio sequeretur. At vanum hunc esse metum, approbare possunt Episcopatus Reformati; & docere vel idem ipsa Hispania potest: quæ multos Ecclesiasticos ordines habet, quibus non sunt Nuptiæ interdictæ; *v. Franc. Sarmient. tr. de redit. Ecclesiast. part. 4. c. 1. num. 13.* nec tamen Beneficia quibus fruuntur, naturam suam mutant. Et hoc est quod Nicol. Betsius *c. vlt. fol. 717. & seqq.* optat: vt in Germania præter Prælaturas, & duos Equitum ordines, quibus omnibus cælibatus adnexus est; alia media institui possent, quibus potentiorum secundogeniti se alere, & sublimes Imperii dignitates, in integritate suâ conseruare possent. Ac idem *fol. 722.* subnectit: si amplissimi reditus Ecclesiastici, in Equestribus Ordinibus, qui perpetuò pro Religione & patriâ excubarent, constituendis impenderentur; melius forsan, publicis priuatisque rationibus consuleretur.

17. Quomodo verò in Principatu, qui indubitanter aliàs ex æquâ parte ad filios omnes pertineret, Ius Primogenituræ institui queat, tractationis est admodum perplexæ: in hacque materiâ, omnem alijs gloriam anteuertisse autumo Nicolaum Betsium, in tract. suo iam sæpius laudato de pactis familiarum. Sed vt paucis multa comprehendam; omnium eorum de quorum agitur interesse, consensus necessarius videtur: Populi, Liberorum, Agnatorum; & Principatus si sit Feudalis, etiam Domini superioris. *v. omnino Betsium. c. vlt fol. 708. &c.* Quamuis calculo approbatum sit frequentiori; quod etiam inuito Domino,

mino, vni Filiorum totus Ducatus, vel Marchionatus assignari queat; ex conuentione Agnatorum vel Filiorum: modò hoc nõ fiat in Domini Fraudem. *Rosenth 9.concl.56.num.4.*

17. Et hoc etiam erit notandum: agnatorum gentiliumque consensum, tam in Beneficiario quam in Legitimo Principatu, expressum esse debere: nec enim sufficere tacitum tradunt nostri Doctores. *Myns.obs.87.cent.4.Tiraq.de LL.connubial. glos. 7.in v.expreß.num.8.Corset.sing.8.Bart. Camerarius ad c.Imperialem.de proh.Feud.al.per Frider. fol.526.* Hic vero consensus, assentientium heredibus pòst natis, omninò præiudicare videtur: per rationes quas assignat Hart. Pistor. *lib.2. quæst.7.nu.42. & seqq.*

Dissertatio VII.

De filio ante adeptum Regnum nato. & de controuersiâ inter Patruum & Filium præmortui Fratris.

1. Enimvero, ætatis vbi priuilegio, maxumus natu sibi vẽdicat sceptrum; Primogenitus à nondum Rege creatus, etiam nato post adeptum Regnum, regulariter præfertur. *videatur hâc de quæstione Tiraquell. de primog. quæst.31. Molinæ. ad consu.Paris. §.13 glos.2.num.55.Bodin.6.d.Rep.5.num.714. P.Gregor.7.d.Rep.c.9.Lipsi.monit.pol.2.cap.4.monit.2.exemplo 1. & 2. Hotoman. quæst. illustr.2. Baro de Tautenb.ad tit.14. lib.1. Feud.circa fin.Val.Forster.tr.d.succeß.lib.4.cap.vlt.num.27.Dn. collega Harppr.ad t.Inst.de succeß. ab inteß.in pr. num.106. &c. Nic.Betsius cap.8.fol.468 Ranchinus tr. de succeß. ab inteß. §.10. num.8. & seqq.Hen.Arnisæ.doctr.pol.c.9.fol.222. Frid.Tilemann. diss II.2 th.14.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [79] - 73

2. Hæc olim dubitatio in Monarchia Persarũ, inter Darij liberos litẽ mouit, Artemenem & Xerxem. Nam ex his Artemenes Regnum jure & more gentium petebat natu prior : at Xerxes controuersiam non de ordine, sed de nascendi felicitate faciebat : illum namque Dario priuato prouenisse; se se Regi. ita priuatas illi opes deberi, quas tum habuit, at sibi Regnum, in quo genitus educatusque esset. Contentio, quanquam de Regno, intra arma stetit: & Arbitrum Patruum sumpserunt Artaphernem. qui re pensiculatâ, præponendum Xerxem putauit : siue ratione iam dictâ; siue indole motus vtriusq;. Ipsum hoc in eodem Persarum Regno, diu pòst mouit Parysatis, Darij alterius vxor: mouit sed non eodem successu. Nam ægro marito persuadere conata, vt Cyrum minorẽ filium Arsacæ (qui postea dictus Artaxerxes) in iure sceptri præferret, ipsâ illâ dictâ caussâ, & quod in Regno natus esset. sed haut impetrauit, & stabile priori ius fuit: quod & felicibus armis cõtra fratrẽ seruauit *Plut. in Artax. à pr.* Turbauit & res hæc eadẽ, ante multos annos Germaniã nostrã. Henricus I. Imp. Othonẽ, qui magni postea meruit nomen, heredem constituit Regni. At persuasus erat Henricus, sibi omne ius imperij deberi, qui natus erat patre iam Imperatore appellato; cum Otho natus foret illi, Regnum antequam adipisceretur. Factiosorum ergò & præsenti rerum statu non contentorum auxiliis animatus; bis contra Fratrem arma mouit, bis victus, & toties Fratris gratiam impetrauit. *H. Mutius Chron. Germ. lib. 13.*

3. Nec hîc facile aliquod admitterem discrimen, inter eum qui natus à verè priuato, non in stirpe aut Regio vllo iure; & illum qui in Regno à maioribus ad posteros delato; à patre quidẽ nondum Rege prognatus, sed nato à Regibus, & in spem hancce sublato. Naturæ namque si felicitas, & ætatis hîc aliquid operatur prærogatiua; non sanè tempus dignitatis adeptæ, sed perpendenda est meritò prioritas natiuitatis. Licet itaque quis interim

interim dum pater priuatus existit, non dicatur Filius Regis; tamē cum primùm parens Rex designatur, primogenitus iam natus, eo ipso quod pater Regnum acquirit, primogenitus fit Regis: & vt morientis Principis Filius, quemque nemo ætate præcedit, heres est Imperii solus. Et sufficit quod sit & dicatur Primogenitus Regis, tempore mortis vel successionis delatæ: etenim cum qualitas adiicitur verbo, à quo dispositio sumit effectum; satis est talem qualitatem adesse, tempore quo illa dispositio sortitur effectum. *Bart in l. ex facto ff. de vulg. & pupillari.* Non ipsa dignitas, vel alia qualitas personæ, sed persona generat ipsa. Et sic ad esse primogeniti non requiritur aliud, quàm prioritas genituræ seu legitimæ natiuitatis: id ipsum ergo attenditur solùm; dum quæritur quæ sit primogenita persona. dum verò inuestigamus, quod sit obiectum primogenituræ, & in quibus bonis vel rebus, effectum suum operetur; tempus attenditur quo debet habere effectum, mortis nimirum paternæ, successionisque delatæ. Quemadmodum in priuato quoque iure, omnium bonorum à patre quæsitornm hereditas, æquè cernitur à filiis ante illorū acquisitionem genitis, vt ab aliis postea susceptis: & ad tempus excessus refertur, consideratio officiosi & inofficiosi testamenti paterni. *l. cum quæritur. 6. C. d. inoff. testam.* Licet primogenitus Plebei, natus antequam Pater per Principē simpliciter nobilitaretur, haut nobilis efficiatur, nisi ipsi etiam datiua nobilitas conferatur expressè. vulgaris quippe illa Nobilitas natiua, nunquam adesse potest, nisi perfectè adfuerit tempore natiuitatis. *Molinæ ad consuet. Paris. §. 13. glos. 1. ad fin.*

Nec solùm si primogenitus acquisito iam Regno, naturæ debitum soluit, filius non frater succedit indubitanter: sed & 4.
protogenio ante Patrem exspirante, Nepos potior est filio secūdogenito, gradu quamuis remotior sit toto. Hancque sententiam totius ferè Orbis Christiani cōsuetudine receptam, & eam quotidie seruari dicit Iacob. de S. Georg. *tr. feud. ad ver. Dux. v.*

quid

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [81] - 75

quid si Rex nu. 8. *Addatur Tiraquell. d. primog. quæst.* 40. *P. Gegor.* 7. *d. Rep. c.* 10. *Bodin.* 3. *d. Rep.* 5. *num.* 731. *& c. Bart. Chassane. in Catal. glor. Mundi parte* 5. *considerat.* 42. *Mynsing.* 3. *obs.* 23. *Dn. D. Harppr. tr. de succes. ab intest. in pr. num.* 74. *& multis seqq. Dn. D. Bocer. d. succes. Feud. c.* 3. *quæst.* 48. *fol.* 323. *Hotoman. quæst. illustr.* 3 *per tot. & in tr. hâc de quæst. sing. Ranchin. d. §.* 10. *num.* 11. *Knichen. de Sax. non prov. jur. ad verba: Electorum. c.* 3. *per tot. Lips. Monit. polit.* 2. *c.* 4. *num.* 2. *&* 3. *Nicol. Betsius. c.* 8. *fo.* 458. *& c. Hier. Cæphallos. opin. commu. contra com. quæst.* 762. *& in appendice. Ioh. del. Castillo in controuers. quotid. c.* 20. *Iac. à Saa. Eques Lusitan. tr. de primogen. per discurs. Ludo v. Molina de Maiorat. tr.* 2. *quæst.* 626. *&* 632. *Arnisæ. doctr. pol.* 9 *fol.* 220. *Fachine.* 6. *controv. c.* 2. *Buxtorff. disp. ad Auream Bullam. th.* 85. *lit. e. Matth. Stephani disp. ad instit. cent.* 3. *quæst.* 5. *Tileman. disp. ff.* 2. *th.* 13. *Dominic. Arumæ. exercit. ad inst. ii. th.* 6. *Ioh. Lauterbach in suo Princ. Christiano. c. vlt. num.* 132.

5. Sanè ius controuersum, vtrum Patrui an filij fratris, ad res Imperiaq; sint vocandi, ingentium toto terrarum orbe, motuum originem fuisse, scribit Paul. Aemil. *hist. Franc. libr.* 9. *in Philip. Valesio.* Et olim antiquo iure Francorum, Repræsentatio nec in lineâ rectâ, vllum tutabatur locum. *Estien. Pasquier* 4. *des Recherch. c.*18. *& li.* 5. *c.* 1. *Girard. tomo* 2. *lib.* 13. *fol.* 95. Ita Ludovicus cognomine Pius, Patri Carolo Magno successit, sepositio Bernhardo (ex fratre natu grandiore Pipino) Nepote. Ita Alphõsum Castiliæ Regẽ, filius sequutus est in Imperio minor, senioris Ferdinandi liberis exclusis, *Girard. tom.* 1. *lib.* 12. *fol.* 994. *& c.* Ita Caroli Claudi Neapoleos Regis, successor fuit filius Robertus, posthabitis qui ex Martello Primogenito superstites erant. *Aemil. d. lib.* 9. *Girard.* 2. *tomo lib.* 15. *à pr.* Etiam Hybernicâ lege (Tanistriam linguâ vernaculâ vocant) hoc idem legimus comprobatum. *Betsius c.* 6. *f.* 114.

6. Quin & nouissimè Consiliarius quidam Ducalis, *in Discursu*

cursu exoterico: tract. Iac. à Saa, & Lud. Molinæ præfixo. si consuetudinem Gentium Germanicarum, & rationis simul æquitatem spectemus, indubitati iuris esse ait, Patruum haberi priorem. & quidem iure triplici; Possessionis, proximitatis & ætatis. In omni petitione hereditatis, Legislatores nostros primò ad vltimum possessorem respexisse ; cui qui proximior erat gradu, eum cęteris omnibus agnatis, & illum inter pares gradu, qui natu erat maior, antepositum fuisse. Idque multis illustrat exemplis, & Iac. à Saà argumentis, quibus Nepotem magnâ cũ curâ tuetur, laboriosè respondet.

Id quod hac in re, moribus cuiusque Regni institutum, 7.
seruare omnino decet. Verum rationibus si foret certandum; Nepos superior discedet. Spem quippe adeo indubiam parit Primogenitura, vt de ea idem quod de re præsenti statuatur: indeque natu maior, illam vt vocant exspectantiam, & ius quod à Genere ac familia habet, ad suos filios transmittit, etiam nondum purificatum. Quoque in hereditario Regno, hæc licet ratiocinatio non ita procedat : adhuc tamen fictio iuris subuenit Nepoti; & hunc habere putatur effectum, vt is vna eademque persona cum patre, partemque Patris in filio remanere, viverе, vigereque censeatur. Et cum hanc maximè controuersam quæstionẽ, in Electoratu, per aureã Carolinã sanctione, *ca. 7. in pr.* pro Nepote decisam habeamus: non immeritò decisionem eandem, ad alios Germaniæ Principatus, & Feuda extendimus dignitatum. *iuxta l. 12. & 13. d. llb. Dan. Moller. 2. semest. capit. 40. Knich. dict. cap. 3. numer. 60.*

DISSERTATIO VIII.

DE FRATRIBVS, ET VLTERIORIS GRADVS COLLATERALIBUS ALIIS.

1. DEFICIENTIBVS Liberis, Fratres defuncti sunt Successores: *c. grandi. 2. de supplend. negl. Prælat. in 6.* nisi Regnũ de nouo, eaque conditione sit datum, vt ad descendentes tantummodò perueniret. Si verò nec Fratres supersunt, jus Agnationis in Regno Paterno, Proximitas in Imperio à Maternâ lineâ prouenienti, erit inspicienda.

2. Ita tamen, vt cum primis ordo Linearum quę à stipite prouenerunt, haut negligatur. Quot enim Filios Rex aliquis relinquit; tot inde promanant Primogenituræ: ex quibus prior linea, donec durat succedit; eaque absumptâ vocatur secunda, ac ita reliquæ deinceps. Et sic Masculo in primigenia linea deficiente, non propinquior superstes, ex tertio geniti surrogatur stirpe; sed Regnum defertur ad eum, in alterâ qui eiusdem gentis stirpe gradu antecedit: vno licet sit geniculo vel pluribus, illo ex tertiâ lineâ remotior. *M. Ant. Peregrinus cons. d. Succeß. Regiâ. suffixo tractatui eiusd. de iure Fisci per tot. Hotomàn in disp. de controu. inter patruum & frat. præmortui filium. Ranchinus d. §. 10. num. 12. Buxtorff. ad Aur. Bull. θ. 85. lit. f.*

3. Etenim per fratrem ętate maiorem, temporaliter tantum excluduntur fratres iuniores; quamdiu nempe primogenitus, eiusque posteri superexistunt. Quemadmodum ergo spem succedendi, consuetudinario Regni iure probatam habent ætate posteriores: ita ij ordine genituræ, seu iure successiuo, subordinatoque vocari videntur. Deficientibus quippe primogeniti posteris, ad eum statum res redire videtur, quo per Primogenitum eiusvè filium aut nepotem, secundogenitus fuit exclusus: & sic

& sic non aliter secundogeniti nepos, pronepos vel abnepos, tertio geniti remouet filium; ac Primogeniti nepos, secundo genitum ipsum

Ac licet Bodin. *6. d. Rep. 5. num. 733. in fin.* hoc nostro in ca- 4.
su seniorem anteferat iuniori. Vt & auctor discursus exoterici *fol 32. &c.* (cuius tela inprimis jus sereniſſimi Electoris Brandē-burg. in Iuliacensi Ducatu, petere videntur) nullam prorsus Repræsentationem in collateralium successione admittat: sed eos debere iuxta gradus & ætatis prærogatiuam succedere, contē-dat. Quam eandem etiam amplectitur opinionem Ludo. Molina *de Maiorat. tr. 2. disp. 627. & 633.* Nostra tamen sententia, aliud nisi Lex successoria suadeat sentire (puta si ad successionem proximiorem vocauerit nominatim) æquior veriorq; videtur.

Et hæc fuit controuersia, quæ superioribus annis excitata 5.
fuit inter Nauarræ Regem Henricum, eiusque Patruum Borbonium Cardinalem: qui contra doctrinam & regulam suprà firmatam; Nepoti propter prærogatiuam ætatis, quorundam Regni perturbatorum instinctu, præferri; & Princeps Regij sanguinis primus voluit existimari. Cuius conatus euentus & concors omnium doctorum elisit penna. *Histoir. de derniers troubl. lib. 3. fol. mihi 115. &c.*

Porrò licet de iure ciuili, infinitatem in reflexâ, seu trans- 6.
uersali lineâ, haut locum habere, vulgò doceant Interpretes Iuris. *Schneidew. Inst. de hered. quæ ab intest. capite de 3. ordi. succed. num. 38 &c.* Hos tamen benè conuincunt Dn. Harpprecht. *ad pr. inst. d. hered. quæ ab intest. def. num. 412.* Dn. D. Bocerus. *c. 3. de Regalib. num. 30* Arumæ. *exerc. 11. §. 13.* Vt & communi suffragio Feudistarum, successio in Feudis dignitatum fieri debet vsque in infinitum. *v. Dn. Bocer. de Feud. succes. c. 5. quæst. 20.* Et adhuc magis Successio Regnorum (quæ meri iuris gentium reputatur) de vno in alium qui supereſt de stirpe Regiâ, vltra centesimum, & gradum etiam defertur remotiorem. *Curt. Iun. d.*

feud. part. 2. tertiæ part. princ. num. 49. Caphal. cons. 173. nu. 35. Ranchin. §. 15. num. 7. addatur Ioh. Lauterbach. in suo Princ. Christiano c. vlt. num. 134.

7. Ita Baldus, *ad c. 1. de Feud. Marchiæ, &c. num. 5.* annis abhinc ducentis, non dubitauit, his scribere verbis: si in Francia tota domus Regiâ moreretur, & extaret vnus de sanguine antiquo, puta de domo Borboniæ, & non aliquis proximior esset: esto quod esset millesimo gradu: iure tamen sanguinis, & perpetuæ consuetudinis, succederet in Regno Francorum. Quod & accidit post obitum Henrici III. quem Rex sequutus est Nauarrenus, ab eo plusquam vigesimo gradu qui distabat.

8. Si Regnum vel Feudum diuidi queat, difficultas suboritur perquam magna, an Patrueles in stirpes vel capita, defuncto Patruo succedant? Id autẽ licet per constitutionem Imperialem de Anno 1529. decisum esse dicant nonnulli: *v. Dn. D. Boecrum. d. succ. Feud. c. 5. quæst. 15. & Rittersh. in par. Feud. c. 16. quæst. 6.* Nõ tamen quas adfert rationes Nicol. Betsius, *c. 9. fol. 614.* exigui nobis momenti esse videntur.

Dissertatio IX.

De Regis liberis naturalibus: et item de Legitimatis.

1. AB Imperii explodit Successione verior ratio, extra matrimoniali Venere procreatos. *Petr. Gregor. 7. de Rep. 8. Lips. monit. polit. 2. c. 4. monit. 1. Arnisæ. polit. c. 9. fol. 238. Schönborner. 2. polit. 10.* Vt & apud Spartanos qui Spurię progeniei, ad Regnum haut admittebantur; sed admissi potius remouebantur *Nic. Cragius d. Rep. Lacedæm. 2. cap. 2. fol. 52.* Ac inter alias Hugonis Capeti Leges graues & rectas; & vna fuit quę filiis naturalibus

turalibus non Legitimis, aditum ad Regnum præcludebat. *Girard. tomo 1. lib. 6. fol. 538.*

Quod eo vsque etiam extendunt; vt ne summus quidem seu absolutè imperans Princeps, Filium naturalem in præiudicium Legitimi heredis, ad Regiam successionem habilem reddere queat. *Ias in l. qui Iurisdictioni. de jurisd. omniũ jud. P. Gregor. Tholos. d. c. 8. num. 12. & seqq. Molinæ ad consuet. Paris. §. 13. glos 1. sub num. 38. Betsius c. 6. fol. 171. &c.* Quia penes eum non est, fundamentalium Legum, eorumque iuris gentium quæ sunt, mutandorum potestas. Sic pariter Don Antonius Lusitanus, populari & partim Nobilitatis fauore, ab ordinibus Rex salutatus, contra Philippum Regem Hispaniarum: attamen quod Philippus ex filiâ natu maximâ Portugalliæ Regis legitimè natus esset; non potuit ius ei quæsitum auferri abillis, quibus ipse præesse, non subesse debebat. *v. supra diss. 2. n. 14.* 2.

Sunt verò qui scribant, posse Imperatorẽ Spurios suos, liberosq; naturales legitimare. & inde Papæ Romano suos quoque liberos Naturales, quos fortè genuerat dum adhuc laicus esset, legitimandi competere potestatem *Dn. D. Bocerus de Regal. 2. num. 103.* Quippe cum data sit facultas Imperatori, filios suos apud semetipsum, alii in adoptionem dandi, itemque emancipandi. *l. 3. & 4 d. adoption.* Sed hîc sollemnitas quædam iuris ciuilis tantum remissa est Imperatori: ex quo sanè haud congruè argumẽtando poterit euinci, etiam filios suos naturales, ad sibi succedendum idoneos facere, in arbitrio situm esse Principis alicuius absoluti: cum hoc sanctionem fundamentalem rectamque rationem offendat. 3.

Ac quamuis Pontifex Maximus, etiam Regum Spurios ad Successionem habilitare præsumat. est enim si credimus Georgio Heymburgensi, *in appell. contra Pium 2. quæ habetur in tom. 1. lection. memor. Ioh. VVolf. f. 819* coniugij legitimi osor, fautorque bastardorum. Et ita olim Petrum Castiliæ Regem 4.

communicatione maiori notauit; & Iacobo fratri naturali Regnum adiudicauit. *Froisard.d. tomo 1.c 230.* Attamen recepta est iuris, & etiam apud Hispanos theorica, neminem ad Regna à quoquam legitimari: quâ etiam de caussâ Don Antonium (etiam si Legitimationem à Pontifice obtinuisset) Lusitaniæ Regni incapacem esse responderunt Philippi Regis Hispaniarum consultores. *Hier. Conestag. d. Portug. & Castell. coniunct. l. 3. fol. 151.*

5. In Galliâ quidem, sub Regno Merouingorum, Pepiningiorumque, Regalis successionis capaces existimabantur etiã Nothi. nempe qui non ex plebeis & abiectis; sed mulieribus nobilibus erant susceptI. *Ranchin. §. 7. n. fin. Girar. lib. 1. de l'hist. de Fr. f. 72 & in tr. del'estat des affaires de Frãce li. 1. f. 90.* Sic Robertus Normanniæ in Gallia Dux, Guilhelmum postea Conquestorem cognominatum, repudiatis ex fratre nepotibus, habere voluit successorem: eiusque iudicium approbauit & executioni mandauit Rex Francogallorum. *Girard. 1. de l'estat de France. fo. 113.* In Lusitaniâ, Regnisque aliis idem accidisse haut insolenter, multis exemplis Petr. Heigius docet *part. 1. quæst. 21.* Sæpe legitimo modo, vel à Regibus ipsis, aut ab ordinibus Regni, Tyrannicam Regum oppressionem exosis, qui ad Regni gubernacula admoti fuêre liberi Naturales; auspicato & feliciter Remp. per se, posteroque gubernarunt. *Betsius cap. 5. f. 115. & c. 6. fol. 160.*

6. Turcarum itidem Imperatores, à Bajazitis primi tẽporibus legitimas haut ducunt vxores (Roxolanâ exceptâ, miro quæ astu effecit, vt ex pellice Principis fieret vxor) à concubinis liberos tollere contenti, & ex pellicibus concepti, æquè ac ex sollẽni coniugio nati, in honore sunt apud Turcos; tantumque in Successione prærogatiua spectatur ætatis. *Thuan. lib. 12. fol. 358.*

7. Attamen Naturales, non nisi legitimâ stirpe omninò extinctâ, siquc ab Ordinibus & populo digni Jmperio iudicentur, admitten-

admittendos esse Nic. Betsius censet. *cap. 6 fol. 164.* Forsan & in hereditario Regno, Spurius Patris voluntate ad Imperialem dignitatem ascendere posset. Sicut Alphõsus (qui Regnum Neapolitanum, propria acquisiuit virtute) in eo heredem instituit Fernandum : natum Valentiæ in Hispaniâ citeriore, atque ex muliere susceptum, quam ibi cum ageret in delitiis habuisset. *Iovian. Pontan. histor. lib. 1.* Auita verò, quæ habuit Imperia, reliquit Agnatis.

8. De Legitimatis per coniugium subsequutum, nodus hic occurrit haut facilis explicatu. Tanta vis Matrimonij existit, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur: & naturalibus ac legitimis per omnia & in omnibus; tam Canonico quàm in nostro iure Iustinianeo æquiparẽtur. *c. 6. ext. qui filij sint legit. Novell. 12. circa fin.* Quam porrò legitimationem quocunque tempore, & etiam in mortis articulo fieri posse tradunt. *Matth. Stephani disp. ad Inst. cent. 1. θ. 46.* Hinc Spurio Patris nobilis, per subsequens matrimonium legitimato, Arma & Insignia Patris competere: *Clariss. Dn. Collega Boer. 2 d. Regal. num. 29. &c.* eosdem à Feudali successione non remouendos esse; Interpretes nostri contendunt. *Boer. d. Feud. succes. cap. 3. quæst. 2. v. tamen Andr. Knichen de pact. inuest. part. 1. cap. 2. num. 73. &c.* Pactum quoque in Matrimonii factum cõtractu, de Masculorum successione, Fœminis exclusis; etiam extendunt ad naturales, ex vili pellice natos: dummodo per nuptias subsequentes illud vitium fuerit abstersum. *Betsius cap. 6. f. 190.* sicut & in ijsdem locum habere ius Primogenituræ defendunt. *Matth Steph. d. loco θ. 47.*

9. Non verò cum Ferdinan. Vasquio, *de succes. progress. § 2. numer. 89.* si Matrimonium aliud intercedat; Legitimationem iustam retrotrahi: ita vt priùs durante concubinatu procreati, sed postea legitimi facti, inculpatè omninò natis, in quocunque iure Primogenituræ vel Maioratus præferri censerẽ. *Tiraquell. d. Primog.*

d prim. q. 34. Molinæ. §. 13. glos. 1. n. 35. Betsius c. 9. n. 574. Guil. Val. Forster. tractat. Iustin. l. 3. disp. 15. d. 4. Licet enim verè & propriè per sequens matrimonium legitimi efficiantur: non tamen possibile videtur, vt retrò siue in præteritum verè legitimi fiant. Nec etiam fictio legis, quicquam de iure aliis quæsito debet aufferre.

10. Similiter in Orbe Christiano, consuetudine nunc introductum videtur, vt nec Nuptiæ insequentes, eluere queant in illustribus familiis maculam omnem; si quæ prius concubina, non compari præfulgeat generis splendore: sed ad Morganaticam vt vocant, eiusmodi Matrimonia contrahi solent. *libr. 2. Feud. t. 29. vbi. Baro de Tautenberg rectè legit Morgengabicã.* Ita Fridericus Palatinus Elector, Victoriosus vulgò dictus; ne Principatus diuisio iteretur, Nuptias non contraxit: sed filios duos ex fœminâ quadàm suscepit: quam licet habuerit postea vxorem; Filium tamen natu maiorem Canonicum Ecclesiæ Spirensis; alterum non Palatinatus heredem, sed Comitem tãtùm in Leuuenstein, effecit. *Trithem. in reb. gestis dicti Frider. pag. 5. & Marq. Freher. in Notis, ad pag. 50.* Est & hodie in Germania princeps, qui eandem propter caussam, minimâ paternæ hereditatis portione, viuit contentus. Generatim idcircò à lubidinibus vagis, & quæ has ferè subsequi solent, ab inferioribus, & dignitate statuque suo matrimoniis indignis, omnino abstinere debent Familiæ illustres: quod grauiter monet Betsius *cap. 6. fol. 156. & seqq.* ac Erici Sueciæ Regis memorabili comprobat exemplo.

DISSER-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [90] - 84

DISSERTATIO X.

QVÆ REGIÆ HEREDITATIS ENVMERAT incapaces.

IN Regno qui propior successor, si propter vitium perpetuũ naturæ, Remp. administrare non queat; & nempe Furiosus, demens, existat, morbovè sontico, non qui tempore finiatur laboret; tunc debet alter ab eo gradu proximus admitti. non vllà habitâ ratione, siue incapacem illum vltimò defunctus abdicauerit, iureque suo priuauerit; *v supr. dissert. 2. nu. 18.* siue minus. *Tiraquell. de primog. quæst. 23 Rosenth. cap. 9. concl. 55. in not. lit. k. ad fin. Rittershus. part. Feud. cap. 15. quæst. 9.* Legum enim beneficia idoneis & capacibus sunt non incapacibus scripta. Proinde nec eum frui putarem iure Successionis, qui perfectus quidem mundum primò adspexit; ex accidenti vero, & antequam ipsi succedendi occasio fuisset oblata, vitium aliquod immedicabile contraxerit. *contra Tiraquell. d. quæst. numer. 2. Vulteius 1. d. Feud. c. 9. num. 64. fol. 445.* 1.

Illustris non pauci auctoritatis scriptores; *Tholosanus 7. d. Rep. c. 6. Molinæ. ad consu. Paris. §. 13. glos. 1. num. 26. & seq. Keckerm. 1. polit. c. 4. fol. 115.* Primogenitum etiam illum assumunt ad Monarchiam absolutam, qui ad regnandum inhabilis videtur; atpue adeò, qui est vel surdus, vel mutus, vel simili cuidam obnoxius morbo. Nempe quia subditi semel latâ lege, Principi eiusque successoribus semet obstrinxerunt, & Regis posteros in lumbis parentum elegerunt At mihi hoc in contractu, hæc tacitè conditio inesse videtur; si non omni ex parte ineptus inueniatur. Quod & dicerem pariter, si incapax sit ratione morum vitiosorum. *v. sup. diss. 2. num. 17. & seqq.* 2.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [91] - 85

3. Verùm si quis Successione, vel ipso Regno priuari mereatur; non ideò heres quoque eius Legitimus pro indigno reputatur. Quia quæ non à Patre, sed à genere, ciuitate, rerumque alicui tribuuntur naturâ, ea semper incolumia manent; nec facto prædecessoris adimi queunt. *l. 3. ff. de interd. & relegat. Ioh. d. Terra rubea. tr. de iure legit. succes. in hered. Regni Gall. tr. 1. art. 1. concl. 23. Tholosan. 7. de Rep. c. 4. num. 12.* Haut etiam pœnæ egredi personas, neque filius pro patre noxam luere debet. *Deut. 24. v. 16. 4. Reg. cap. 14. v. 6.* Sic apud Lacedæmonios stabile adeò succedendi ius erat, vt & filij id retinerent; licet exilio multati, vel capitis pœnâ affecti essent aui & patres quibus Successores quærebantur. *Cragius. 2. d. Rep. Lacedæm. f. 56.* Etsi nonnulli, excluso patre inhabili ad successionem primogenituræ, ob id quod infamiâ sit notatus; & filium quoq; repellant: cum exclusâ radice tanquam infectâ, remoueatur quicquid ab ea prouenit. *Didac. Burgens. Hispanus, in quæst. ciuil. num. 15. &c.* Quemadmodum etiam ferè omni in casu, delictum vasalli, Feudo priuat ipsius descendentes. *v. Theod. Petrei. conclus. crimin. θ. 235. vbi cumulatim alios laudat.*

4. Filium natu majorem vel proximum heredem quemcũque, ius successionis repudiare nõ prohiberi, iam modò monui supra. *diss. 2. num. vlt. & diss. 4. num. vlt.* Sicque in Regno Franco-Gallorum, Sigebertus olim cessit Clodovæo. *Girard. tom. 1. lib. 2. f. 153.* Nec ægrè tulit in Sabaudia Thomas, quòd sibi à Patruo Philippo I. præpositus fuisset Amadæus, eo nomine quartus. *Lambert. Vander-burch. in Sabaud. hist. gentilit. fol. 38. 39. & 41.* Quid autem tunc erit dicendum, si pater ius primogenituræ vel Successionis fratri suo resignauit: anné in hoc casu juri repræsentationis, aut Filio conquerendi supereſt locus? Negat Auctor Exoterici discursus: *fol. 29. &c.* eò quod Filius à patre accipere nequeat id, quod pater amplius non habet. Affirmans opinio Nic. Betsio *cap 8 fol. 407.* verior videtur. cum nullus possit:

sit renunciare statuto seu consuetudini, in tertij, siue filij siue extranei detrimentum. Ego inter Filios tempore renunciationis existentes, & pòst natos differentiam constituendum esse putarem *per trad. supra diss. 6. num. final.*

Non solum qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit; hocipso Feudum amittit: *cap qui Clericus lib. 2. F t. 26.* sed & Clericus nullo modo in Beneficium paternum succedere debet; etiam si posteaquam habitum Religionis assumpserit deponat eundem *cap. 1. t. 30. lib. 2. Feud. Aur. Bulla Carol. 4. c. 7. ibi: legitimum laicum.* Attamen haut iidem à Regnorum (præsertim si non adsint nisi remotiores Agnati) excluduntur successione. & ferè semper à priori resiliunt professione; licentiâ seu dispensatione quam vocant Pontificis impetratâ. Ita vltimus Portugalliæ Rex Henricus, Cardinalis antea fuit tituli sanctorũ quatuor coronatorum. *Conestag. in hist. coniunct. Portug. & Castell.* Ferdinãdus itidem Mediceus, post Francisci fratris sui mortem, Anno 88 Magnus Tusciæ Princeps, quàm Cardo Ecclesiæ maluit esse. *Thesoro politico part. 3 fol. m. 299. &c.* habuimus & simile ante aliquot menses exemplum in eo, qui nunc regnat Mantuæ Duce. 5.

Administratores Episcopatuum & Archiepiscopatuum coniugatos Euangelicæ Religionis, in Electoratibus & aliis succedere Feudis; nec tanquam Clericos ab ijs excludi, verius & æquius mihi videtur. *Betsius cap. 7. fol. 231. & seq. Buxtorff. dissert. ad Auream Bull. thes. 85. lit. d.* Quid vero, si Romano Catholicæ fidei addictus, opimæ cuiusdam præbendæ illicio permotus, quocunque hereditario sese abdicet iure; meliora postmodum edoctus, ad contraria confugiat castra, thorique sibi iungat sociam stabilem, & legitimos procreet gnatos: an huic Renunciatio illa nocebit, paternamque hereditatem adimet & Feuda auita? Quod sane negandum putarem. Publico enim Romano Germanici Imperii scito, *Constit. Pac. Religiosæ A. 1555.* 6.

§. 18. Ecclesiastici à Religione veteri, salua & illæsa existimatione, ex animi liberrimo motu recedere possunt. Et, si filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam facultatum, fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos; totū quicquid largitus fuerat, reuertitur in eiusdem donatoris arbitrio ac ditione māsurum. *l. 8. C. d. reuoc donat. vbi Dd.* nemo enim extraneo donat in perpetuum, qui de liberis cogitat suscipiendis. *l. 6. §. 1. C. de Instit. l. 102. in f. ff. d. cond. & demonstr.* Ac quoq; renunciatio iuris, intelligenda semper est ex caussâ præsenti: rebus nēpè ita stantibus, nec earum facie omninò mutatâ. *Ias in l. qui cū tutorib. d. transaction.* Et tandem Iohan. Neruius Germaniæ IC. excellens, in quodam manu scripto consilio attestatur; quod in Germaniâ Clericus ordinem etiam sine dispensatione deponens, ex constitutione Pacis publicæ (Religionis) ad Feuda admitti queat. *Rosenth. 7. concl. 30. num. 26. v. Bocer. d. succes. Feud. c. 3. q. 23.*

Dissertatio XI.

De Iure Foeminarum in Successione Regali.

1. NON quidem Lege Diuinâ, nec Lege Naturæ, prohibitū est Imperium Muliebre. Naturâ quod nulli præcluſa sit virtus, sed omnes admittat; & virilibus etiam curis Fœminina vitia exuere Mulieres queant. *Tholosan. 7. d. Rep. cap. 11. Casus Sphær. ciuit. 2. cap. 3. Euer, Bronchorst. miscell. 2. assert. 81. Kerckerm. disp. pract. 29. problem. 7. Iunius quæst. polit. 13. Thom. Sagittarius in Templo Virtut. lib. 2. exerc. 3. θ. 2. Christ. Matthias Ditmarsus colleg. polit. 2. disp. 1. θ. 28. Gregor. Rolbagius, in certamine*

mine masculofœmineo. per discursum. Ita filios Israël vniuersi, ad Deboram in Iudicium ascenderunt. *Iudic. 4.* & Miriam Moschis & Aharonis soror, in Ducibus numeratur, qui de terrâ Aegypti eduxerunt Israëlitas. *Micæ. 6. v. 4.* Inde quoque consuetudinem, iuxta quam in partibus Gallicanis, Fœminæ præcellentes, in subditos suos ordinariam Iurisdictionem habere noscuntur, approbat Innocent. 3. P. M. *cap. dilecti 4. ext. d. arbitr.* Fuit &

Imperij exemplum nobile Virginei,
Quæ non ita pridem imperitauit
——Populis Regina Britannis.
——Aevi
Quæ famam ac sexus sustinet vnà sui.

Attamen non idcirco eorum mihi sententia arridet, qui autumãt; cessante lege prohibitiuâ speciali, etiam ex genere regulariter succedere fœminas in Regno, proximiores si existant: sed regulam potius contrariam firmarem, nempè haut vnquã Regiæ capaces eas esse successionis; Consuetudo nisi illis, ius hîc aliquod largiatur particulare. *Cabotius 1. disp. c. 15. Tiraquell. d. primog. quæst. 10. Bodin. 6. d. Rep. 5. & Meth. hist. c. 6. Lipsius 2. polit. c. 3. & ibi in Not. vt & 2. Monit. c. 2. Arnisæ pol. c. 9. fol. 226. Eberart. à weihe tr. de succes. & Election. prærogat. H. 1. b. Schönborner. 2. polit. 12. M. Reinhard. Konig. disp. de Gynecocratia. Anno 1612. Giessæ habitâ.* 2.

Fœminas quę admittunt Leges fundamentales, hoc tantum in fauorem Regis permittere putarem; vt ne metuere habeat necesse, hereditatem tam splendidam ad remotiores vel extraneos planè, perventuram, & Filiabus suis ablatam quandoque iri. Sanè in Democratiâ vel Aristocratiâ, excluſa à Magistratu prorsus est Fœmina omnis: Siquidem pro monstro in Annalibus adnotatum reperimus, quòd sub solo primùm Heliogabalo, Mulier in Senatum admittebatur. *Lampid. in vita.* 3.

Quin & certissimam notam imminentium esse calamitatum in Regno, Politicis plerisque videtur, cùm aut Matrem, aut Sororem, Conjugem aut cognatas Principis, opibus & auctoritate crescere nimium, Regnique administrationem invadere comperimus. *Johan. Bapt. Lencius obs. polit. 68.* Fœminas quidem in gradum honoris summum, Nationes quædam tulerunt; sed nascendi sorte oblatas: nec Populus fuit unquàm, qui Fœminam, cum libera suffragia essent, sibi præfeciisse legatur. Mulieres, etiam gradu omnibus aliis propiores, ad Imperii gubernacula nullatenus admittere voluerunt, gentes ferè omnes: Assyrii, Persæ, Hebræi, Ægyptii, Græci, Romani, Abyssini, Pœni, Turcæ, Tartari, Moscovitæ.

4 Rationi omninò consentaneas puto, plerorumque Populorum, Leges & Sanctiones ferè concordes, filias ex iisve descendentes, à Regni Successione quæ removent in æternùm. Eo quippe medio, nõ Gynecocratiæ solummodò evitantur incommoditates: sed & in simul prohibetur, ne ad Nuptias convolante Reginâ, Principi extraneo Populum subjici; aut saltem à Familiâ Regnum amoveri contingat. *Cabot. 1. cap. 16.* Ac nonnullę propterea Nationes; etsi ab eorum Regnis, de more Mulieres haut excluderentur: non semel tamen hoc jus violarunt; Principis exteri ne pati cogerentur dominationem. *Cabotius 1. cap. 17.* Quam eandem propter rationem, in Anglia olim, extra Regnum maritum quærentes, pro se & heredibus quibuscunque, Regiæ Successioni renunciare solebant. *Joan. Hotman. Sr. de Villiers. F. Hotoman. Filius. tr. de la Charge & dignitè de l' Ambassadeur. f. 52.* Quod equidem an jure fiat, adhuc controversum est apud Jureconsultos: *Betsius. c. 6. fol. 192.* Nec nocuit qui nunc in Britania imperat Jacobo. & remissum subaudio Serenissimi Palatini Electoris conjugi Augustæ.

Sic & Reginis, aliisque Principibus fœminis, quibus administratio aut hereditas amplissimarum obvenit regionum;

non

non ex animi sententiâ maritum sibi eligere permittunt: sed ad Ordinum, aut universi populi curam, eam rejiciunt deliberationem nonnullæ Nationes. uti exemplum, quod in Scotia Anno 1564. accidit, refert Thuan. *35. fol. 727. Betsius cap. 6. folio 152. &c.*

Cumprimis autem Galli, à Fœminarum extraneorum- 5.
que Imperio abhorruerunt. *Memoires de la Ligue tom. 5. fol. 77. & 82.* Indeque Pilippus Valesius, Eduardo Angliæ Regi, genero Caroli Pulchri sine prole Mascula defuncti, in successione prælatus; illo S. S. Scripturæ dicto se tuebatur: Considerate Lilia Agri, non laborant neque nent. eo innuens festivè; Lilium Gallicum haud cadere in colum & fusum. Idque fieri dicunt vigore notissimæ illius Salicæ Legis; de terrâ salicâ, non ullam ad mulieres hereditatis portionem transire permittentis. *de quâ plurib. Hotoman. in Franco-Gall. cap. 9. & seq. Tholosan. 7. cap. 16. adfin. Molinæ. tr. de Monarch. Francor. num. 69. &c. Estienne Pasquier, des Recherches de la France, 2. cap. 14. Cabotius 1. cap. 16. Claude Fauchet. tr. d. Origin. des dignitez de la France. cap. 2. Pyrrh. Engleberme. commentatiunculâ de l. salicâ, per tot. Girard. tra. de l' Estat de France. f. 168. 174. & aliis passim. P. Heigius 1. quæst. 7.* Quæ licet in privata citò displicuerit hereditate; *Cujac. lib. 8. observ. cap. 14. Cabotius 1. cap. 19.* adeò ut etiam in Feuda, dignitatem habentia adnexam, inibi Filias succedere posse dicatur. *cap. 4. ext. d. arbitr. Girard. tr. de l' Estat. de France lib. 3. fol. 381.* illa tamen semper, non usu solùm approbata fuit in Regiâ Successione; sed & locum ea quoque in Apannagio habet, quod tertiæ lineæ Reges, Fratribus suis concedere solent.

De Salicæ Legis etymo & derivatione, varii varia com- 6.
mentantur. *Hadr. Jun. in Batavia fol. 99. Camerar. 3. meditat. cap. 64. Frid. Martini, tr. d. censib. cap. 1. num. 15.* Nobis arridet, objecti ratione ita denominatam: quasi Aulica Lex; quod sem-

per recepta fuerit in Regia Successione hereditateque. Saal enim, vel Sale, Francico Idiomate Aula est; terra Salica Saalgut / Hofgut / ab aula vel Principe dependens. & eodem sensu Saalrecht / Lex Salica; ac quâ voce nos & hodie utimur, Saalbuch.

7. Initium & originatio, adhuc obscurior mihi videtur. Tempore Pharamundi, primi Francorum Regis, latam esse putant ferè omnes: quod tamen Eduardus Rex Angliæ semper pernegavit: eam in fraudem Filiarum ab Agnatis commentam confictamque esse dicens. *Froissard. 1. tomo. cap. 4. Girard. tom. 2. libr. 14. fol. 108. &c. & adde Dialogos duos de querelis Franciæ & Angliæ. Petri Cardin. Cameracens. quos publicavit & Sibyllæ Francicæ subjunxit Goldastus.* Idque bello teterrimo & periculoso, quod per multos annos in Francia fecerunt Angli, præbuit occasionem. Ea item de causâ, & Galliam ad se pertinere contendunt; ac ejus sibi titulum usurpant in hunc usque diem Angliæ Reges. *vide Sleidan. in illustr. rer. & Gall. descript. præfixâ comment. Cominæi.* At Fœminas in Regno Galliæ succedere nullomodo, certum & expeditum esse videtur: & hoc si non Salicâ Lege; at tamen consuetudine antiquissimâ, & συμπαραλήψει in tribus Regum familiis, ordine inviolabiliterq; observatâ, jubente. *vid. auct. Antimachiav. lib. 1. d. Princ. consilio. theor. 1.*

8. Regum porrò & Filiæ Electorum &c. Renunciationes facere coguntur successionum: verùm ej usmodi pacta, magnâ ex parte sunt otiosa. *Dauth. de testam. in prolegomen. num 7. fol. 10.* Sed tamen Carolus V. Franciæ Rex, Mariam filiam, cum elocaret Hannoniæ Comiti Guilielmo, Anno 1374. à Comite fuit stipulatus, ut juri in Regnum Delphinatumque renunciaret: non quòd illâ Renunciatione opus esset, cum certum sit Franco-Gallorum Imperium non transire de Lanceâ in Fusum; sed quia recens erat vulnus iniquæ contentionis Anglicanæ.

Joh.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [98] - 92

Ioh. Tilius in com. d. reb. Gall. lib. 2. Et magni etiam momenti sunt Renunciationes, respectu patrimonii priuati, Allodialiũque bonorum. *Dauth. d. loco*. Non etiam illustres & nobiles in Germania Fœminæ, sine renunciatione à bonis paternis excludi repelliqúe censentur; alias quippe illâ sollemni repudiatione, haut opus foret. *Betsius c. 8. f. 365. & seq.* nec vt id faciant cogi vllo modo possunt : cum pacti & conuentionis naturæ, coactio repugnet.

Quemadmodum autem, vbi primogenitus solus succedit, cæteris alimentariam portionem is assignare tenetur. *sup. diss. 5. num. 6.* Eodem modo, summa suadet ratio humanitatis, vt Filiabus vbi heredes esse non possunt, conueniens dos constituatur. quod nullis hereditariis extantibus bonis, ad Feuda etiam extendunt Interpretes iuris. *Hart. Pistor. p. 2. q. 37. in pr. & nu. seqq. Vultei. d. Feud. c. 9. nu. 57. Borch. c. 7. p. 2. nu. 74. v. Myns. 4. obs. 86.* 9.

Dos apud Galliæ Reges, licet iugi & vniformi vsurpatione non sit determinata: *Girard. 3. d. l'estat. f. 335.* consultissimum tamen videtur, vt vel statutis, vel vsu longæuo, Familiæ Principum, certam & definitam habeant dotium quantitatem : quã excedere in præiudicium successorum & Ditionum suarum nefas existimarem. Vt & illud non possum nõ approbare; quod Nic. Betsius *cap. 6. f. 194. &c.* dilucidè docet : vix posse Dominum, subditos pro maritandâ filia collectare, vel aliquâ grauare contributione. 10.

Ad Fœminas transitoria haud pauca inueniuntur Regna. Angliæ, Scotiæ, & quæcunque nunc tenet Rex Hispaniarum. Cæterum Imperii in Germania Feuda, regulariter sunt Masculina. Licet ibidem quam plurimi Ducatus, Marchionatus, Comitatus (etiam Feudales) fœminis obtingant. 11.

Et sic Austriæ Archiducatus, ex priuilegio speciali, in Masculorum defectu, ad Filiam deuoluitur seniorem. *constit. Frid.* 12.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [99] - 93

Frid.2.d.iur.ac priuil. Ducum Austr. §. 12. apud Goldast. tomo 1. const. f. 86. Ipsi quoque Austriaci Archiduces, ad pleraſque Ditiones quas nunc in Germania tenent, Matrimoniorum felicitate peruenerunt. *Pontus Heuter. de famil. Austriaca.* Hacque eadem ratione, quicquid habuit Burgundiæ Dux, longè certè potentissimus; quicquid Hispaniæ Rex Ferdinandus, id vniuersum ad illam domum, per eandem hanc viam fuit deriuatum. *Sleidan. 1. com. fol. 27.*

13. Cliuiam etiam & Ducatum Iuliacensem Fœmineum esse perhibent Feudum. *Knichen. 1. de vestit. pact. c. 10. num. 8. & seq.* & vt tale nuper occupatum jure fuit. Iam etenim multos ante annos, Ioh. Cliuensi, ab Archidiaconatu & præpositurâ Colonienſi ad Imperium vocato, sineque liberis morienti, succeſſor datus fuit Adolphus Marchiæ Comitis filius, ex Mariâ Theodorici Cliuiæ comitis filiâ prognatus. Ita etiam Iohannes Cliuensis, felici matrimonio iunctus Guilhelmi Iuliæ ac Montensium Ducis Filiæ vnicæ Mariæ, Dotis iure, potentes atque amplas prouincias plures, suis ditionibus adiecit. *Steph. Pighius in Hercul. Prodicio. f. 63. & seq. Dauid Chytræ. in Sax. fol. 83. & seq.*

14. Eberhardus VVirtembergensis Comes, in vxorem duxit Henriettam, Filiam Henrici vltimi comitis Montbelgardensis (qui Anno 1395. ad Nicopolim periit) & inde Montbelgardia illustrissimæ familiæ VVürtembergicæ accessit *M. Cruſ. annal. Suev. lib. 6. part. 3. c. 11.* Fridericus item vltimus Teccēsium Dynasta, ex Ducis Vrslingensis herede, vnicam tantum filiam reliquit, quæ VVirtembergiæ Comiti nupta, in caussâ fuit, vt titulum ac insignia vna cum maxuma Ducatus Teccēsis parte, & hodie VVurtembergici Principes vsurpent. *Pontus Heuter. tr. de Habspurg. origine. c. 8. fol. 25.*

15. Fœminam à Succeſſione Feudi, per existentiam Masculorum semel excluſam, perpetuò reiectam manere; communē esse aiunt Feudistarum opinationem. *Gail, 2. obs. 148. Bernh.*

Gravæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [100] - 94

Grævæ.2.concl.148.Dn.D. Harppr. ad pr. instit. d. hered. quæ ab intest. nume.143.D.D.Bocerus tr.de inuest.c.5.num.62. &c. & de Feud.succes.capit.3.quæst.4. Verum sententiam huic contradicentem, Fœminis nempè, hoc in casu ius succedendi in suspenso retineri; nec ideo eas semper & omni tempore, etiam cum mares defecerint, à successione arceri, constanter defendunt alii multi. *quos enumerat Grævæ. d.concl.Vult.1.d.Feud.c.9.nu. 52.Menoch.cons.331.num.49.&c. & cons.700. idemq; placet Dn. D.Ioh.Iac.Plebst.disp.Feu.7.θ.42.* Sanè Iul. Clarus, *in §.Feudum. quæst.80.num.2.* concedit priorem opinionem, locum habere inter fœminas & agnatos remotiores; non autem inter fœminas & Dominum Feudi directum: quem nunquam Fœminas excludere, aut Feudo priuare posse, propterea quòd masculus semel successit, æquius existimat omninò. Quod mihi cum primis hancce ob caussam displicere non potest; quia in omni cõtrouersia Feudali, Cynosuræ loco est inuestitura omnium prima, eaque cum iugiter vel Domino vel Vasallo moriente renouetur; insimul semper ius fœminarum redintegratur. Nec facile quis dixerit vllus, ob ordinis rationem fœminâ semel submotâ, inuestituram primigeniam commutandam, Fœminarumque mentionem omittendam esse. In Regnis certè admittuntur, qui nati sunt ex fœminis iam modo exclusis, vt ex Osasco, Nicol. Betsius refert. *c.4.ad fin.fol.96.*

DISSERTATIO XII.

IN SVCCESSIONEM FOEMINARVM, STVDIOSIVS inquirens.

A Successione Regali, Fœminæ si remoueantur; regulariter itidem Masculi ex Fœmina descendentes, excluſi cẽsentur. 1. Et pro certissima regula habetur, ex fœmina

prognatos, ab eo iure gradu que repelli, à quo fœmina ipsa submouetur. *Tiraquell. d. primog. q. 12. Cabotius 1. disp. c. 21. Ioh. del. Castillo, controv. quotid. c. 2. & 4. Val. Forster. tr. de succes. 3. c. 17.* Etenim si propter plures causas aliquid prohibeatur; non est ad validitatem actus sufficiens, præsentia vnius. haud solum autē propter odium Gynæcocratias, Fœminas à Successione remoueri, iam modo dixi dissertatione superiore. *num. 4.*

2. Accedit quod infectâ radice, infectum est omne quod ab ea descendit: tum quod antecedente destructo, etiam consequens consistere nequit. tum etiam, quia impedimentum excludens defunctum, ipsius quoq; successoribus creditur obstare. *Clariss. Dn. Collega Harppr. ad pr. Inst. d. succes. ab inteſt. numero 135. &c.*

3. Id quod superioribus temporibus Regi Angliæ Eduardo III. Philippi Galliarum Regis, cognomento Pulchri, ex Filia Isabella Nepoti, contingit: qui Carolo Formoso auunculo suo, nullis Masculis heredibus superstitibus defuncto; Philippo Valesio, agnato remotiori cedere fuit coactus. Eius enim Legatis Proceres ac Ordines Regni responderunt: Fœminas ad Galliæ Imperium haut unquam fuisse admissas; & cum Mater ipsius in eo nil habeat iuris, ipsum quoq; nihil hic prætēdere posse. *v. sup. diss. 10. num. 5. & 7.* Quamuis quædam gentes, Fœminas à Regnis repulerunt; cum admitterent ex Fœminis procreatos. *Cabotius 1. c. 15. fol. 96.*

Ad Regiā verò Successionē, licet ex Lege Regni speciali, mu-
4. lieres idoneæ reputentur: Masculo tamen filio existente, succedere Fœminā nolunt, etiamsi eo ętate sit maior. *c. 1. § filia tit. 8. lib. 1. Feud. Tiraquell. d. primog. q. 10. num. 18.* Quamobrem, cum olim in Hispaniâ (quemadmodum & hactenus) moris esset, vt Regibus viuis, illis qui proximè sunt in Regno successuri, iuramentum fidelitatis & hominium præstetur: si Rege filium non habente, iusiurandum Filiæ datum fuisset, id postea suscepto filio

filio, irritum fiebat *Cabot.d.c.15.fol.98.* Et pariter ideo, neque Primogenii ante parentem mortui fœminea proles, repulso patruo succedit. *Tiraquel.d.primog.q.14.* Non enim filii gnata plus iuris, quam primogenita Patris habere debet.

5. Attamen nullo modo Adoptatus vel Arrogatus, in Legitimo ad fœminasque transitorio Regno: *Molinæ.ad consu.Pariſ.§.13.gloſ.1.numer.33.Barth.Muſcul.d.Succeſs.conuent.claſs.1.membr.2.concl.6.lit.F.fol.130.* vt nec filius naturalis, legitimã filiam excludit. *Muſcul. d. loco.lit.G.fol.130. & ſeq.* Sic enim plus quam castitas luxuria haberet; contra naturæ legumque principia immota.

6. Verum enimuero, vir quemadmodum fœminam excludit, in eodem gradu, & eâdem lineâ si sit vterque: ita Fœminæ capaces vbi sunt Regiæ Successionis, etiam Agnatis, omnibusque ex latere coniunctis, filiæ præferuntur. *Cabotius 1.diſp.c.15. & c.20.ac ſeq.* Et in hoc deuiat à Successione Regiâ, Feudalis; vbi Mulieri locus (etiam in Fœmineo Feudo) non patet, masculus donec supereſt ex eo, qui primùm de Feudo fuit inuestitus. *Roſenth.cap.7.concl.39.& ſeq.* Etsi nonnullis in locis, lege vel pactione singulari, hæc itidem data sit Regno natura; vt vltimo demum masculo defuncto, ad clauum Imperii fœminam admittat.

7. Pariter si ultimus Regni ad fœminas transitorii possessor, in Liberorum solitudine moriatur, tunc ad proximum, ex eodem stipite descendentẽ (vel masculum vel fœminam) successio spectat. Ita olim in Scotico Regno, Dauidis Hundintonij (Alexandri Regis sine liberis decedentis qui Patruus erat) ex maiore filia Neptis Domagilla; sollemni iudicio fuit prælata Roberto Brussio, ex filia minore eiusdem Dauidis pronepos. nec Roberto profuit sexus prærogatiua. *Buchanan. hiſt.Scoticæ lib.8.à princ.* Non tamen hîc quod supra *diſs.8. num.2.* de ordine dictum est linearum, obliuione tradendum erit.

8. Hæc autem omnia, cum maxumè illustrat de Lusitanica successione, multos doctos quæ calamos excitauit, controuersia inprimis famosa. Cuius en habe Schema! *ex Conestag. libr. 3. & auctore discursus exoterici f. 61.*

EMANVEL REX LVSITANIAE
qui regnare cœpit Anno 1495. & obijt
Anno 1521.

Isabella ob. 1539. — *Philip. Rex Hispan.*
Beatrix ob. 38. — *Emman. Phil. Dux Sabaud.*
Iohannes qui patri successit ob. 57. — *Maria ob. 45.* — *Carolus Hispan. Regis Phil. filius violenta morte occubuit. Anno 68.*
Ludovicus ob. 55. — *Iohannes ob. 54.* — *Sebast. R. Portug. A. 78. in Afr. occisus.*
Henricus Eduardus. vlt. Rex. ob. 80. — *Anton. Nothus.*
Eduardus ob. 40. — *Maria ob. 77.* — *Raynutius Dux Parmensis.*
Catharina — *Brigantiæ Ducissa.*

9. Carolus, Mariæ Lusitanicæ & Philippi Hispaniarum Regis filius (de cuius morte omninò videatur Thuanus *libr. 41. à pr.*) si vixisset; sine controuersia in Regni successione, post Sebastiani necem, Henrico prior fuisset; vti Conestag. scribit *lib. 3. fol. 110.* quia iam semel ad lineam Iohannis transierat Regnum. Cũ verò Carolus ante Sebastianum exspirârit, successit Henricus, vtpote omnibus aliis propior gradu. Et falsi fuerunt illi Jcti, qui Philippum, etiam Henrico præponebant. *Conestag. fol. 118.* Fuit quidem Sebastiani mater, soror Hispaniarũ Regis, & proinde is tanquã Auunculus, vno gradu anterior Henrico erat, Sebastiani patruo magno. Sed metienda est proximitas, respectu stirpis à qua Regnum prouenit.

10. Henrico iure merito successit Philippus: Parmẽsem enim propinquitate vincebat: nec is (vt & Bragãtiæ Ducissa) Eduardum poterat repræsentare; quemadmodum Professores Patauini voluerunt: *Conestag fol. 144. & seqq.* non etenim Fœmina, à mulie-

à mulierevе descendentes, ius referunt & exhibent Masculinũ. Haud namque ius patitur naturæ, nec iuris rationes, quæ vim naturæ imitantur, vt quæ verè fœmina esset, repræsentationis iure pro mare habentur. Ac quamuis ij qui Regnum hocce petebant, omnes forent consobrini, à Regis Henrici Fratribus sororibusque prognati: non tamen suam saltem, sed & matris personam prætexuit Philippus, cum nempe eam Emanuelis (stipitis communis) primogenitam, & Sabaudiæ Ducis parente natu dixerit maiorem, vt ex Conestagio *fol.146.* apparet. Nõ ergo omnem repræsentationem; vt censet Auctor exoterici discursus: sed in hoc tantum casu, & inter huiusmodi personas (quemadmodum Parmensis & Bragantia voluere) nullo eam iure defendi contendebat.

11. Porrò in Regnis, aliisque bonis Regali dignitati subiectis, & Feudis Francorum iure concessis vel acquisitis, quorum fœminæ quoque capaces existunt, Primogenituræ ius ad fœminas etiam extendendum est omnino. *Post Tiraquel. Nicol. Betsius cap.8.fol.474. &c.* Potissimum namque in eiusmodi rebus primogenitura propterea sibi vindicat locum; ne Regna & Prouinciæ, in plures diuisæ partes, cum subditorum tum publicæ salutis periculo debilitentur; quæ ratio tam in fœminarum quam masculorum successione militare videtur. Et idem ius in fœminis vsurpant Angli, Hispani, & populi omnes, quotquot Imperia & successiones sexu non distingunt. *Auct. discurs. Iurid. de succes. Iuliacens. f.* 5. Licet secus sit in iure primogenituræ inter priuatos constituto. *Molinæ. ad consu. Paris. §.19.glo.1.* quod ad Ducatuum & Principatuum successiones inconsideratè trahit Auct, verè Iuridici discurs. in caus. Iuliac. *fol.25.*

12. Etiam Primogenitæ filiam, dicerem Materteræ potiorẽ. *Betsius cap. fol.464.* Vt & primogenitæ gnatam secundo-genitæ filio præferrem: regulariter enim ex fœminâ descendens, non melioris conditionis ipsâ matre æstimatur. *sup.h.dissert.n.1. & 2.*

Dubita-

Dubitatum quandoque, armisque & argumentis con-
13. certatum fuit de eo, an propter vinculi duplicitatem, fœmina in pari vel remotiori etiam gradu, Masculum à iure prohiberet successionis. Et quidem in Curia olim Parisiensi, cum Iohannes III. Britanniæ Dynasta vitam cum morte commutasset; Filia secundogeniti vicit, defuncto ex vtroq; latere agnata: repulso cõsanguineo Fratre minore. Quod tamen iudicium corruptum contaminatumq; non sine causa reputatum fuit. *Bern. Girard, 2. tomo, lib. 14. fol. 169. &c. Froissart. cap. 65. & 71.* Haut quippe Filia, quod iam monui ante, sexum repræsentat paternum: & proximitas attenditur tantum ea, quæ est intuitu primi Regni adquisitoris. *arg. trad à Dn. D. Bocer. d. succes. F. capit. 5. quæstion. 14.* Philiberto item Sabaudiæ Duci, succedere voluit Ludovica germana soror, Francisci I. Gall. Regis mater; Carolo ex altero tantum parente qui frater & iunior erat, remoto. At non ætatis solum prærogatiuâ iureque propinquitatis; sed dotalibus pactis, imprimis causam fulciebat Ludovica. *Lambert. Vander-burch in hist. Sabaud. fol. 192. &c. G. Bellay. S'r. du Langey en ses memoires. fol. 418.*

14. Hoc item ad fœminarum in Regnis successionem pertinere videtur: quod mortua vxore, omni iure imperii, se exuere cogitur maritus. Quod disertis verbis in nuptialibus pactis Philippi Hispani & Angliæ Reginæ Mariæ, cautum inuenitur: contra priscum illius Regni morem. *Hist. des guerres entr. le maisons de France & d'Espagne. fol. 18.* Et sic, cum Isabella Castellæ Regina, Marito Ferdinando, Regni Castelli procurationem testamento legasset; Philippus Austrius, gener Isabellæ, ad cuius vxorem Materni Regni successio pertinebat, Testamentũ socero in dubium reuocauit. *Thuan. 1 fol. 2.* Ita neq; vsum fructum dotalis in Belgio Imperij, patri Maxæmiliano, idem permisit Philippus. Nec vllo pacto, aliud in fraudem legitimi heredis induci posse; contra Iohannem, viduum Blancę Nauarrę Reginę, eius olim filius disputauit. *Histoir. de Nauarre fol 464. &c.*

Ad

Ad finem addo: Spurius matri illustri, cum non succedat. *l. si qua illustris. ad SC. Orfic. Costal. ad l. 19. d. stat. hom.* id adhuc multo magis in Regnis obtinere.

DISSERTATIO XIII.

DE CONFRATERNITATIBVS SIVE PACTIS SVCCESSORIJS illustrium personarum.

IN hereditariis quemadmodum Regnis, non infrequentes sunt Adoptiones, & Testamenta, quibus stabilis Successio conseruatur: ita in Imperiis, successionis quæ certæ & ordinatę ratione, Legitima vocaui supra, Regni vt Successio eò magis integra seruari queat; Pactiones de inuicem succedendo, in casu deficientium legitimorum heredum inuentæ: nouisque sic gentium moribus, tertium genus prodiit Heredum, Conuentionalium seu Pactionalium nempe: quod veteribus Iureconsultis, vel incognitum vel exosum fuit. *Gail. 2. obs. 127. ubi Bernh. Grævæus. Dn. D. Bocerus tr. de succes. Feud. c. 2. q. 2. & 3. ad fin. Vinc. Cabotius. disp. iur. 2. c. 12. P. Heigius par. 1. quæst. 23. VVarem. de Erenberg in Medit. pro fæder. lib. 1. cap. 2. num. 36. fol. 141. & fol. 144. & cap. 4. num. 10. fol. 336. Eberard. à VVeihe. tr. de succes. prærog. G. ult. & H. 1. Nicol. Betsius. tr. d. pact. fam. c. 5. fol. 103. &c. Rosenth. c. 7. concl. 25. Bart. Muscul. in disp. Basileens. de confraternitate per discurs. Lauterbach. in Princ. Christ. fol. 183. &c. sub num. 131. Clapmar. 2. d. Arcan. Rerump. c. 21. Keckerm. in polit. f. 122. Matth. VVehner. in pract. obs. de verb. signif. verbo* **Erbeinigung**. *Geog. Schönborner. 2 polit. 13.* 1.

Hoc modo paciscentes, Fratres & heredes conuentionales, vel Pactionales; **Erbuerbrüderte/ Erbuereinigte/ Erbuerwandte/** 2.

wandte vocantur. Ipsam Conuentionem, Fraternitates, Gentilitia vel familiaria indigitant pacta & statuta. Erbuerbündtnuß/Erbuertrág/Item Erbuerbrüderung.

3. Constat huiusmodi conuentione familiari, Illustrissimæ Brandenburgicæ domui obligatos esse Pomeraniæ & Megapolitanum Principatus. Tales etiam inter Saxoniæ & Hassiæ Principes, Anno 1373 initæ; & deinceps non semel renouatæ, à multisque Imperatoribus confirmatæ fuerunt : & ad eam Anno 1587. Marchiones Brandenburgenses, saluâ conuentione cum Ducibus Pomeraniæ initâ, accessêre. Successoriâ hâc Lege, A. 1583. Saxoniæ Duces in districtu Coburgensi, extinctâ Hennenbergicâ familiâ, Comitatum Hennenbergensem acquisiuerũt. *De quo casu consuluit Nic. Reusner. vol. 1. cons. 3.* Eodem familiari iure, Bauariæ & Principes Palatini, tum in legitima bonorum suæ gentis, deficiente masculâ prole successione, tum etiam in Electoriâ dignitate vtũtur. Ac eius rei exempla adhuc alia, quæ partim in Germania, partim in Galliis, aliqua etiam in Italia cõtigerunt, recensêt Hotoman. *cons. 32. num. 37.*

4. Quemadmodum vero familiæ & parentelæ, merum Imperium & omnimodam Iurisdictionem habentes, circa Successionem, proprias sibi leges ferre posse putatur: *Muscul. θ. 41.* ita Priuatis, successioni suæ legem paciscendo dare, communiter prohibetur: *Betsius. c. 4 per tot. Musculus d. confrater. θ. 39. & seqq.* Tum quod inter priuatos, non ea quæ inter Principes militet ratio: nec expediat iura successionum, quæ communia omnibus esse debẽt, nullisq; cõclusa cancellis, promiscuè subiici arbitrio subditorum. Quin & Nicol. Betsius *d. c. 5 fol. 127.* scribit: Pacta vniuersalia de mutuis successionibus inter familias illustres, omnimodáq; decoratas Iurisdictione, Germaniæ & aliarũ Prouinciarum consuetudine approbata esse, & de iure quoque communi sustineri. Pacta vero eiusmodi inter certas personas, etiamsi Principes sint (nisi hi superiorem non recognoscant) haud defendi posse.

Porro

Porro cum interſit ſubditorum, ne alienis & ignotis Dominis ſubijciantur: minime eſt eorum conſenſus omittendus. præcipuè ſi de potenti aliquâ Prouinciâ agatur; cuius ſubditi & incolæ, armis ſe aduc- ſus ignotum, & ipſis inuitis obtruſum tueri poſſent. *Betſius cap. 5 fol. 125.* 5.

Vt & ſuperioris, ſi qui eſt, vel Domini Feudi confirmationem accedere debere volunt. *Gail. d. obſ. 127. num. 5. Muſculus θ. 27. & ſeq.* Et quidem generaliter in imperii Feudis, conſenſum requiri Imperatoris, certum & expeditum eſſe videtur. In allodialibus autem Principatibus, hoc non æquè neceſſarium eſſe putarem. Eiuſmodi etenim pacta, omnigenæ iuriſdictionis vigore ſubſiſtunt: *ſupra num. 4. à princ.* à pari quippe procedunt, conſuetudinem introducere, ſeu condere ſtatuta, & habere Iuriſdictionem. *Sichard ad l. fin. C. d. Iurisd. num. 4. Dd. ad l. omnes populi. d. Iuſt. & iur.* Cumque familiæ quoque priuatæ, de ſucceſſione legem ferre queant, ſi Principis confirmatio accedat. *Muſculus θ. 40.* nil inter priuatas & illuſtres omnivaria que iuriſdictione familias corruſcantes, intereſſet, ſi æquè hæ ac illæ, aſſenſu hac in parte indigerent ſuperioris. 6.

Socii huius ſucceſſorii iuris, ad mutua inuicem auxilia, & copias militares ſuppeditandas teneri: ex Angel. Bodino & aliis Barth. Muſculus docet. *theſi 47. & ſeqq.* Sed præcipuus confœderationis huius effectus, in ſucceſſione apparet: quod ſc: eius vi & efficaciâ, ſtirpe alterutrius extincto, ad alterum hereditario quaſi iure devoluitur Principatus. *Reuſner. I. cons. 3. nu. 33. &c. VVarem. d. fœder. I. c. 2. num. 36.* 7.

Circa effectum horum pactorum, & id in diſquiſitionem venit: An ſi prohitio alienationis bonorum, huiuſmodi ſtatutis ſubiectorum, non ſit adiecta; tacitè tamen ea ineſſe cenſeatur? Et certè cum non alia cauſſa finalis horum pactorum conuentionum que exiſtat, quam vt bona in familiis conſeruẽtur, quò altera alteri ſuccedere poſſit; illa proinde extra familias pacto 8.

comprehensas alienare, tacitè & quasi per Fdeicommissum prohibuisse videntur. *Betsius c.5 fol. 123.* Cum secundum causam finalem intelligi, extendi, & arctari conueniat conuentiones, leges, ac statuta. *Alciat. d. verb. & rer. sig. lib. 1. num. 10. &c.*

Et quia familiæ paciscentes, altera in alterius bonis ius obtinet quęsitum; id ei sine facto suo aufferri nõ decet Ac porrò etiã confratrum interesse censetur; ne alterius ditiones imminuantur: sicque Saxoniç olim Elector A. 1552. protestabatur: **In dem außschreiben warumb er zur Kriegsrüstung getrungen. §. zugeschweigen.** &c. vers. **Zu dem vnd das auch wir vnnd das Hauß zu Sachsen / vermöge einer Erbuerbrüderung / auff dem Fürstenthumb Hessen / im fahl es ohne Mannliche erben zukünfftig stunde / ein Merckliches** interesse **haben.** Parique ratione, cum confirmaretur à Carolo V. Hennenbergicum pactum, consensus fuit requisitus confœderati Hassiæ Dynastæ. *Musculus θ. 51.*

8. Vt autem mage firma sint talia pacta, & ne res eiusmodi pacto affecta alienari queat; vtile est pro obseruatione huius conuentionis, hypotheca si accedat. *Ant. Gabriel. Rom. in com. opinion. tit. de pignorib. concl. 1. lib. 3.* Quippenam si res fuerint alienatæ, Dominium transferri, & actionem saltem ad interesse contra heredes paciscentis, non autem realem aliquam competere scribunt. Quoniam prohibitio alienationis, per actum aliquem inter viuos facta, nõ dominii impedit translationem: nisi res ipsæ pro obseruantia huius conuentionis obligatæ, & hypothecæ suppositæ inueniantur *Rosenth. c. 7. concl. 25. circa fi. & in glos. ibid.*

9. Cumque hoc à Principibus agatur, vt pacta hæcce familiaria, perpetuum obtineant vigorem; non idcirco contra gentilitias illas conuentiones de reciprocâ successione, testamentũ condi potest; *quod tamen putat Dn. D. Collega Bocerus. tr. d. Feu. succes. c. 2. q. 3.* Sanè à contractu seu conuentione, insciâ & inuitâ altera

tâ alterâ parte resilire non licet, & absonum est, contractum per testamentum infirmari: *Betsius cap. 5. fol.* 122. nec necesse puto, vt liberæ testandi facultati, nominatim renuncient contrahentes; cum id veniat ex natura cuiusque conuentionis. *l. 1. in pr. d. pact.* hoc autem pactum, & quidem vt conuentionem, non tâquam vltimam quandam voluntatem; licitum & consuetudine firmatum esse, communis interpretum schola testatur.

Quoque pactitiæ hæc iura successionis, non planè extremæ voluntatis arbitrium tollunt: fit enim communiter reseruatio rei certæ, de quâ quouis modo & tempore disponere integrum manet. *Musculus* θ. 35. *&c.* Communi verò calculo comprobatum existit, quòd si paciscenti, vel omnia sua bona donanti, minimum saltem bonorum relinquatur, dispositio irreuocabilis subsistat. *arg. l. 10. cum fine l. præced. ff. de hered. petit. Ias. in l. stipulatio hoc modo. nu. 9. d. verb. oblig.* Et aliàs quoque, testandi sæpè omnino tollitur facultas indirectè. vt quando Patris potestati cum omnibus bonis subiicitur arrogatus; per monasterij item ingressum, per venditionem sui ipsius ad pretium participandum. &c. *Iac. Rickius d. vnione prol. cap. 3. num.* 18. *19. 39. 46. Coras. miscel. 6. cap. 17. n. 4.* 10.

Est denique & hic pacti familiaris effectus, quòd omnes pariter obliget Successores. Nec enim mutantur obligationes ex personis heredum; sed in eos transeunt actiuè & passiuè. Quod omnino etiam in Principum successoribus tenet. *Musculus* θ. 55. *& dicam ego infr. lib. 3. dis. 2. vide Betsium capit. 4. fol.* 81. *& vid. sup. dissertat. 6. numer. final.* 11.

DISSERTATIO XIV.

QVO IVDICE, ET SECVNDVM QVAS LEGES DE REgali successione quæ suboriuntur controuersiæ, dijudicentur.

1. REGNA quia iam olim Iure Gentium introducta fuerunt, illorum proinde successiones, ad amussim minime exigi debent Iuris Ciuilis Romani; subtilitatibus & fictionibus scatentis, quas post tot annos inuenerunt Imperatores, vel potius maleferiati Interpretes Iuris. Ac licet Reges Absoluti, Sanctiones Romanas, ad commodiorem iustitiæ inter subditos administrationem, in sua introduxerint Regna: non illos propterea mutasse simplices regulas naturales Regiæ successionis, censere debemus. *Hier. Conestag. lib. 3 fol. 152. v. Alb. Gentil. 1. d. Bello. c. 1.*

2. Ius hac in parte, vt & in omnibus quæstionibus publici iuris, ante omnia ex legibus singulorum Populorum hauriendum; & magis ius ipsius Regni, quam ius quo aliæ gentes vtũtur, spectari debere putarem.

3. Enimuerò, fatali quâdam hominum socordiâ in publicis rebus; Regni cuiusque iura, crebriùs latebrosa & in obscuro existunt: vsu vtpote introducta ferè longæuo, & vsurpatione subnixa fallaci, non scriptis sancita. Priuatorum litigia certis legibus dirimuntur: nullibi non successorię de hereditatibus priuatorum inueniuntur ordinationes; & omnia in incerto esse, quãdoà iure discessum est, reputatur. At vix vnum atque alterum Imperium licet reperire, expeditam & legibus certis omnem in cuẽtum determinatam quod habeat successionem Regalem.

Hocque

Hocque ansam cum præbeat frequenter, contentionibus domesticis, tristibus, crudelibusq; nihil ideo potius faciãt Magnates, quam vt omnium quorum interest consensu, de Regni tam hereditarij quam legitimi successione, apertam prudentemq; procurent Legislationem: an & quatenus Imperium hereditarium sit, quæ decernat; id quod vsu diuturno, & moribus quod constitutum est maiorum, scripto quæ comprehendat, casusq; terminet varios, dum an ij vnquam sint euenturi, adhuc est in incerto. Multorum hac ratione audacia retunditur callida, Leges qui euidentes perrumpere verentur; iura vero obscuriora, in controuersiam & disceptationem plausibiliter vocant.

Sin autem Regnum vel Principatus non sit absolutus; cõ 4.
suetudo in dubio sequenda est eius, in cuius sunt clientela. cum in Feudis dijudicandis consuetudo descendat, non autem ascẽdat. Quemadmodum Parisienses JCti, in Successoriâ lite, quæ inter Dornagillam & Brussium, in Scotiâ olim disceptabatur, responderunt. *Buchanan. lib. 8. fo. 239.* quod & in causâ Britannicâ, inter Ioh. de Montfort, & Carolum de Blois vertente, allegabatur. *Girard. lib. 14. tom. 2. fol. 172.*

Quis iudicis hîc munere fungatur, minus expeditum vi- 5.
detur. In Scotia Proceres olim, cum controuersiam inter Hundintonij posteros de Regia successione, domi non poterant diiudicare; quod ob partium potentiam, totum Regnum in duas discesserat factiones; nec si maximè ex æquo & bono pronunciaretur, vlla tanta in Scotia potentia esset, quæ partes vt iudicato starent, cogere posset: omnium propè voluntate fuit consensum, vt Iudice Eduardo Angliæ Rege res decideretur. Is igitur cum Beruicum primùm venit, eò Rectores Scotiæ & Ordinum Legatos, per litteras euocauit, protestatus se eos, non tanquam subditos ad Dominum, sed amicos ad Arbitrum ab ipsis electum accersisse. Pòst iusiurandum à competitoribus exegit, se decreto staturos: deinde ab Ordinum Principibus, ac Legatis,

se ei

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [113] - 107

se ei quem ipse iuratus Regem daret, parituros. Pòst è prudẽtioribus Ordinum singulorum, duodecim Scotos selegit, ac totidem Anglos eis adiunxit, à quibus etiam iusiurandum petiuit, de eo quod æquum ac verum crederent iudicãdo. *Buchanan. libr. 8. à pri.* Sed non tutum esse in eiusmodi casibus Arbitrum accipere vicinum potentem, huius ipsius negotij demõstrauit successus.

6. Saxoniæ Principes, à multis annis, ortâ aliquâ dissensione, se non tantum confœderatis permiserunt; sed arbitrium è primatibus Regionum sibi parentium delectorum, subire non erubuerunt: idque magnanimitatem & prudentiam singularem præ se tulisse; & nuper adhuc cum partis vtriusque lætitiâ euenisse, à Ioh. Lauterbach in princ. suo Christ. *c. vlt. nu. 135.* commemoratur. Econtrà Philippus Rex Hispaniarum, Regni Lusitaniæ Ordines, & ipsum etiam Pontificem Max. recusauit: sed postquam ius suum toti orbi per publica scripta aperuisset, ad Belli aleam confugit. *vt ex Conest. & aliis notaui. tr. d. appell. ca. 4. n. 8. fol. 127. & seq.*

7. Si qua vero controuersia de Regnis quæ alium obseruant oriatur; superioris est eam definire. *Cabot. 1. cap. 12. ad fin.* Iure etiam communi Feudorum, Dominus putatur Iudex in controuersia inter vasallos; *c. Imperialem. §. præterea. d. proh. Feud. alienat.* & Rex seu Imperator, inter Regalem dignitatem obtinentes *Ias. in tr. Feud. part. 11. num. 6.* Quòdque subdelegare, vicarium constituere, atque assessorem sumere possit quem velit, etiam non habentem Feudalem seu Regalem qualitatem aut dignitatem; pluribus ostendit Schraderus. *tr. Feud. part. 10. sect. 1. num. 1. & num. 21. quæstion. 15. sect. 13. quæst. 1. numer. 3. & 9.* Quin & Assessorem assumere non est cogendus. *c. statutum. §. Assessorem. & ibi CC. de rescript. in 6. Schrad. d. sect. 13. quæst. 2. n. 46.* Non tamen locum id potest habere, vbi per constitutionẽ aut vsu longæ vo, aliud fuit introductum. *Schrad. d. part. 10. sect. 2. num.*

2.num.43 & sect.9 num.125.& seqq.sect.12. num.98.sect.13.quæ. 2.nu. 52. Et sic Romano-Germanicum Imperatorem, sine Paribus Curiæ, de Feudis Imperij opimis definitiuè iudicare non posse, multis deducit Auctor **des Berichts/ ob die Keys. Mst. in Sachen Fürstenthumb &c. betreffendt/ so vom Reich zu Lehen rühren/ vnd einem theil gentzlich abgesprochen werden sollen/ allein/ vnd zwar durch dero Reichs Hoffrhät/ oder mit zuziehung der Chur: vnd Fürsten des Reichs/ als** Parium Curiæ/ **zuerkennen/ vnd zusprechen.** Quod maxumè procedit, vbi ex huiusmodi Feudi controuersia, commodum vel incommodum vertitur ipsius Imperatoris: vt & ardua quæque cuiuscũque Imperii vel Regni, per Imperatorem vel Regem solum, Procerum Imperii vel Regni non adhibito consilio, expedire nunquam addecet. Quò etiam intendunt illustrissimi Iuliæ ac Cliuiæ Duces; cum scribunt: **Es werde sich in den fürnemsten Archiuen im Reich/ vnd auß den Historien anders nit befinden/ dan daß die Teutschen Chur: vnd Fürsten/** à multis retrò seculis, **diese** prærogatiff **hergebracht/ das sie in Sachen ihre Fürstenthumb/ Lehenschafften/ Leib vnd Ehr betreffend/ niemand als den Römischen Keyser oder König neben einem zusatz von Chur: vnd Fürsten/ vnd nicht von geringern Standts Personen/ zum Richter gedulden dörffen.** *D.2 fac. b.*

Deß Außschreibens der Possedierenden Fürsten zu Gülich. *De Anno 1610.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [115] - 109

LIBRI II.

QVI EST DE IMPERIIS SVFFRAGIO QVÆ DEFERVNTVR:

DISSERTATIO I.

DE REGNIS QVÆ IN HANC CLASSEM REFERENDA.

Quodq; Electio, vel liberi vel restricti sit voti.

1. NON semper quæ Regna Electiua seu Successoria sint constat : & de hoc inter Ordines & Reges, lites nonnunquam exoriuntur periculosæ. Ita cum Ludovicus Hungariæ Rex, in Mogaziano bello misere perijsset; Proceres Iohannem Veidanum elegerunt: Austriaci Principes, Annæ sorori Ludovici Regnum deberi contendebant. Ex quo florentissimum illud Regnum, bellis perpetuis turpiter fuit deformatum. *v. Mess. Guil. du Bellay en l'epitome de l'antiquite des Gaules. vbi fol. 55. oratione prolixa, Iohan. Veivodæ partes defenduntur. adde Sleidan. lib. 6.*

2. Romano-Germanicum inprimis Imperium, Electione liberrimâ defertur: nec vnquam Familiæ alicui certæ, vinculo non

non solubili est alligatum, quandiu fuit apud nostrates. *vid. Sim. Schard. tr. d. Elect. c. 5.* Hincque Guntherus. *in Ligur. lib. 1.* canit.

Regibus est aliis potiundi iure paterno
Certa fides, sceptrumq; patris nouus accipit heres:
Nos quibus est melior libertas, iure vetusto,
Orba suo quoties vacat inclyta Principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.

Sanè Germanis, tenacissimi qui sunt Libertatis, ac inter quos quam plurimos, genere & virtute nobilissimos potentissimosque Principes reperire licet; etiam ipso Innocentio III. P. M. teste, Electio accommodatissima censetur. *c. venerabilem. 34. ex. d. Elect. quod Sim. Schardius, in tr. de Electoribus fol. 18. integrum edidit. cum id Petrus Beneuentanus, in compilatione Decret aliũ, vt & alia Iuris canon. capita pleraque, mutilarit.* Idemque hortatur Germanos, vt ius illud Electionis constanter tueantur. dũ ait: Insuper si prædictus (Philippus Sueviæ) Dux, Imperium obtineret, Libertas Principum in Electione periret, & Imperiũ obtinendi, de cætero cęteris fiducia tolleretur. Nam si prout olim Frater dicti Ducis, Patri eorum, sic Dux ipse fratri suo succederet, videretur Imperium non ex Electione, sed ex successione deberi: & in præiudicium Principum redundaret, si non nisi de domo Ducis prædicti, videretur aliquis ad Imperium assumendus.

Ex eodemque Fundamento, cum Carolus V. Anno 31. 3.
Ferdinãdum fratrem, Regem renunciasset Romanorum, creationem hanc esse vitiosam disertè protestabantur quam multi. *Sleidan. lib. 7. ad fin. & lib. 8. f. m. 223.* Nec vllis artibus, is idem efficere potuit Carolus V. vt filium in Imperio haberet Successorem. quod Thuan. & Sleidanus memorant non vno loco.

Electiua seu Optiua Regna, duplicia esse Politici dicũt; votiua seu suffragij, cum liberi, tum ex parte restricti. *P. Gregor. 7. d. R. ca. 15. Cabot. 1. c. 8. Læl. Zecchius, 1. pol. 3. num. 1. Kirchn. 4. de Rep. 9. 3.*

In illo ex omnibus deligitur Princeps. Et hæc Electio de quacunque domo, non ciues modo, sed & peregrinos assumit, nec solum ex Principum ordine aut Optimatū, sed & è Plebe. Quēadmodum olim Poloni suum Piastum, Agriculturæ & mellificij studiosum, voto liberrimo elegerunt. A stiua & vomere in Regni solium deduxêre Primislaum Bohemi, Bambam Hispani. *alia exempla habet Eber. à VVeihe dissert. d succes. prærog. D. 2. &c.* Et milites Romani, modo ciuem modo peregrinum, vllo sine generis intuitu sumebant. Quin & Augustus ille, cuius nomen tā celebre habetur; Argentarium habuit auum, patrem astipulatorem. *Cic. epist. vlt. ad Quint. Frat.*

5. Electio voti restricti, vel ad certam conditionem, vel ad certam familiam est alligata. Sic ex certo hominum genere alicubi Rex est sumendus: quemadmodum nostrâ ætate, omnibus in Polonia incolis, viam ad Regnum præclusam esse dicunt Bodin. *6. d. R. 5.* & Eber. à VVeih. *diss. de succes. prærogat. F. 2.* Et ita inibi ex Lithuaniâ evocati sunt Iagellones, ex Gallia Henricus ex Transyluania Stephanus, ex Suecia Sigismundus.

E contra verò in Israëlitico Regno, alienigenam eligi vel peregrinum, ab ipso Deo prohibitum fuit. *Deutr. 17.* Vt & cum Alphōsus Castus, Hisp. Rex, liberos non habēs, Regnum suum donaret Carolo Magno, eâ Lege, vt ex Hisp. pelleret Mauros, donationem illam irritam fecerunt Hispani: dicentes se malle liberos mori, quam in Francorum degere seruitute, aut per eos incolumes esse. *quod ex Rod. Toleta. & Marin. Sicul. repetit Cabot. 1. cap. 10. fol. 58.* Sæpè legitimi heredes propter mores saltem peregrinos deiecti. *v. supra in Prodr. in 7. ratione pro succes.* quod factum fuit in Franciâ, vltimo ex stirpe Carolinâ. *Girard. tomo 1. lib. 6. in vita Ludov. 5. adde Ioh. Bapt. Lencium obs. polit. 173.*

6. Sicut & ad Fastigium Romano-Germanici Regni, ob Legem Imperij, ab Othone III. vt quidam putant sancitam, non nisi Germanus evehi potest. *Petr. de Andlo. 2. d. Imper. Rom. ca. 3.*

Heigi-

Heigi. 1. quæst. 5. Kirchne. disp. d. Rep. 4. θ. 3. Dn. Collega Harpprecht. ad proëm. instit. n. 10. &c. Buxtorff. θ. 31. lit. e. &c. vsque ad fin. theseos. Ad gentiles verò hîc remittendus est Tholosanus, qui *7. de Rep. c. 15.* Gallorum Principes equè eligibiles (vt verbo eius vtar) ad Imperium esse adfirmat. Sed & Fuluius Pacianus *2. de proba. cap. 35. nu. 50.* opinatur; ob memoriam pristinæ possessionis, Gallum cum Germano in Electionis calculo concurrere posse. Verùm huic quæstioni, iam dudum præclusæ sunt fauces, in ambitu Francisci I. Galliæ Regis, Treuirensi Electore quamplurimum in Francicâ caussâ nequicquam laborante. *Sleidan. lib. 1.* Error itidem alter crassissimus est Tholosani, quòd existimat ius Electionis, etiamnum Gallis in Electore Treuirensi residuum esse; quum ipse sit Cancellarius per Galliã magnus &c. Namque Archicellariatus ille in Treuirensi Electore, nihil iuris aduersus Imperium Franciæ Regi, à quo illud officium non dependet parere potest; sed Imperio potius & Imperatori, antiquam in Galliæ maximâ parte (Regno nempè Arelatensi) iurisdictionem, Imperatoris nomine administratam ostendit.

Huc quoque pertinet grauissima illa Imperij Electorum, super Carolo V. eligendo, disceptatio apud Sleidanum *libr. 1.* 7. Quo tempore non infimi nominis JCtus Henning. Göden, à Georgio Spalatino consultus, quid de Carolo illo Hispaniæ Rege, & Ferdinando Burgundiæ Duce, fratribus, Maxæmiliani ex Philippo nepotibus sibi videretur, an essent Teutonici siue Germani habendi, & sic capaces Imperij Romani: Respondit quod sic. *vid. eius. cons. 1.* Cum premortuo patre eorum Philippo ante auum; fuerint in potestate avi paterni, atque ita sortiantur originem avi sui paterni, & habeantur Germani; Archiducesque Austriæ (licet extra Germaniam) nati: non Hispani, propter matrem vel auum maternum. Maximè cum dignitates & terræ, primæ væ origini adiectæ (vt est successio Regni Hispaniæ, aliorumque) non mutent originem primam, nec minuant aut

aufferant honorem. Quod & seruatum sit in Friderico II. Jmperat. qui in Sicilia natus, ex patre tamen Germano, & nihilominus electus fuit in Jmperatorem, tanquam origine Germanus.

8. Quamuis autem in omni ferè Regno Electiuo, proximorum semper Agnatorum defuncti, ratio habeatur: attamen ex eo Regnum haut esse Electiuum, non ritè concludi putatur. Sic Dani, nullâ licet vi, Regum Electionem sibi eripi passuri videãtur: Regum tamen Filios vel Agnatos, aliis anteferre solent. ex quo enim Anno 1448. Comitem Christianum ab Altenburg/ & Oelmenhorst/ Principem sumpserunt, eius posteri Jmperium non exigua cum laude obtinuerunt.

9. Sic & Sueci olim Regem Electuri, Senatores ac Proceres, nuntiosque omnium prouinciarum, communitatumque conuocabant. Tum ex Senatu præcipuus, oratione circumspectâ proponebat, quam necessarium sit pro Regni, omniumque incolarum libertate, in vnum Regem ac Principem consentire: omnes exhortans, vt libero quem velint voto, quantocyus ex nomine prosequantur. Nec mora prolixa interueniebat: Qui bonum publicum, Regnique gloriam, pacem & concordiam semper tueri visus erat, qui priuato regimine lęserat nullum, qui victor frequentior in bellis, qui totius populi, iustè viuendo fauorem fuerat sortitus; is omnium vnanimi consensu Rex appellatur. Eo tamen respectu, vt si Filius, frater aut cõsanguineus Regis, prædictas vjrtutes habuisset; non hereditatis sed Electionis iure, cæteris omnibus anteferebatur. *Olaus Magn. hist. Sept. lib. 8. c. 1.* Quod & olim tempore Taciti Germania obseruabat. *Claude Fauchet. tr. d. origin. des dignitez. cap. 1.* Quemadmodum itidem ex Saxoniæ & Sueviæ Principibus, multi successiuè ad Imperium Romano-Germanicum peruenerũt. Ut & hactenus in Austriacorum Archiducum familiâ, id feliciter, nullo facto interuallo, vltra Annos 160. fuit conseruatum.

Et

Et quod superiores Poloniæ Reges, continuato fere tem- 10.
porum contextu, alter alterum exceperit ex genere eodem; hoc rectè virtutibus, & innatis nobilitati Polonicæ studiis erga Regiam prolem, adscribit Thuanus. *libr. 56. fol. 1115. vid. Brevem descript. statuum Regni Polon. Stanisl. Krzistano. vvic ad fin.* Unde Laur. Grimalius *in præfat. tractat. d. opt. Senat.* ad Sigismundum Augustum ita scribit: Ipse Principatum istum, non vt plerique, aut hereditate, aut sanguine, aut occupatione: sed vna quæ in te, & maioribus tuis perpetuo floruit, constanti excellentis virtutis, ac sapientiæ opinione, summa Polonorum omnium consensione es adeptus. Non negligunt & filias, ex filiabusque natos Poloni. quâ de caussâ VVenceslaus Bohemus, accitus Poloniæ Rex, Filiam Primislai, vt gratior esset, sibi sumpsit vxorem. *Cromer. lib.* II. *histor. Polon.* Et inter conditiones, sub quibus Stephanus Battoreus Poloniæ Rex fuit renuntiatus, & hæc apparebat; vt antecessoris sibi desponsaret sororem. Profuit & Sigismundo Sueco, ex Iagelloniâ proueniisse matre.

Aliud est, si ex Regia domo, necessario debet sumi Prin- 11.
ceps. Quemadmodum apud Abyssinos vsuvenire dicunt: mortuo enim Rege, non proximum agnatum; sed qui magis idoneus Optimatibus & custodibus videtur, nominari Regem, ex Aluaresio recenset Bodin. *meth. hist. ca. 6 fo.* 293. Vt & Regnum Persarum, ad extremum, non tam Lege quam Procerum suffragiis fuisse delatum, haut vno loco Procopius ostendit: ita tamen, vt non alii quam qui stirpis Regiæ essent, ad Regni culmen eucherentur.

Ita & Hungariæ Regnum hoc singulare memoratur ha- 12.
bere; vt Filiis Regum existētibus, illi patrē defunctum sequebātur, iure quodam Successionis: sin vero non hi supersint, liberā habeant ordines Electionem. *Betsius. d. pact famil. c. 7. fol.* 227. In Holsatia etiam, Ordinibus ius esse videtur, cooptandi ex liberis defuncti Ducis quem velint. in quodam enim priuilegio antiquo, sequentia verba habentur. Nicht zuerben dieſe Land/

einigen

einigen von vnsern Kindern oder Freünden / sonder nach vnserm Leben / als wir nun gekohren / zu diesen Landen von den Einwohnern ehegenandt / so mögen sie vnnd ihre nachkhommen / so offt diese Land loß werden / behalten ihre Chür zu kiesen zu einem Herren / ein von vnsern Kindern / ob deren keine wehren / zu kiesen einen von vnsern rechten Erben / der dan gekhoren wirt / als vorgeschriben steht / der sol sein Lehen suchē von seinem Lehen Herren *&c Vultei. in conf. Marpurg. tom. 3. con. 35. sub num. 63. quitamen in rat. decid. hanc clausulam aliter interpretatur.*

13. Verum vt prioribus modis, vbi nempe ex omnibus, vel etiam certâ hominum ex specie seligitur Princeps; Regnum constituitur merè Electiuum, nihilque participās de Successione: Jta posterior modus, ad certam qui alligatus est domum, Successionis quid cum Electione commixtum habere videtur; Electione tamen aliquid prævalente. *Cabotius 1. disputat. capitul. 9.*

Dissertatio II.

De modo, legibvs cavtionibvsqve electionis.

1. Legitima Electio reputatur, secundum Leges & instituta, moresque quæ peragitur Regni. Quâ ratione iterum varia discrepantia suboritur in Regno Electiuo.

2. Nihil autem pernitiosius in Republicâ habetur, quàm Electio si non sit limitibus certisque Legibus finita & circumscripta. Quod & sciunt Barbari Mexicani, quos Electores certos & quidē quatuor habere narrat Jos. Acosta. *hist. Ind. lib. 6. c. 24.* Indeque inclutos Regni Poloniæ ordines prudenter monuisse Staniſlaus

Staniſlaus Saruicius videtur, cum in præfatione ſuper Hiſtoriam Polonicam (*referente Keckerm. diſp. pract. 29. probl. 14. fol. 359. & ſeq.*) ita ſcribit. Nec definitionem eligendi Regis, cuiâs & qualis eſſe debeat, nec modum præſcriptum, nec formam electionis celebrandæ, hæc Reſpub. habet, per tot centenarios ex quo ſtetit: ſine quibus neceſſitas ipſa, etiam bonos viros, interdum cogit ad varias artes, & compendia confugere. Alioquin enim in infinitum tempus, Electionis nullo effectu; cum graui autem periculo extraheretur: & tot voluntates hominũ, ferè ſemper inter ſe variantes, ad vnum ſcopum impoſſibile eſt ſine arte reducere. &c. Sãciatis igitur aliquam ampliſſimam Legem; quam ſiue Capturum, more patrio perpetuum, vel auream Bullam vocare licebit: Germanos in hoc imitati, qui huiuſmodi voce, talis ſanctionis laudes amplificare volentes, nomẽ ei ab auro impoſuerũt. Quid enim hîc (*ſunt verba Eber. à VVeihe. A ſucceſs. D. 4. b.*) capita ducentorum millium voluntariorũ nobilium nõ mouerent. Tot enim ibi eſſe Nobiles, Hiſtorici aſſerunt Poloni. & teſtatur Ioh. Choiſnyn. *au diſc. de l'Ection du Roy de Polog. f. 117.* plus eſſe in Polonia nobiles, quam in Gallia, Anglia & Hiſpania numerari queant. Hinc ſæpius diſſenſiones peſtilentes inualuerunt; ex quibus innumera malà, & iuſtitiæ & iuris dicundi impedimenta, ſcelerumque impunitas orta. Olim quidem ius creandi Reges penes Senatum erat. Pòſt etiam Equeſter ordo id ſibi vendicare cœpit: ita vt tum demũ in eo ratum ſit iudicium Senatus, ſi cętera nobilitas aſſentiatur. *Mart. Cromer. 2. à pr.* Sanè vbi Electio Legibus caret, locum habet, quod olim Maximo & Balbino Impp. poſt necem Maximini, Senatus Populuſq; Romanus publicè acclamauit: Sapienter Electi Principes, ſic agunt; per imperitos electi, ſic perire ſolent. *Capitol. in vita Max. & Balb.*

Qui omnibus imperat, ab omnib. quidẽ eligi debet: *arg. c. 29. 3. de R. I. in 6.* Nihil tamen ſalubrius, ad bella ciuilia declinanda excogi-

excogitari posse Politici volunt, quam si multitudini non tam Populi, verum & Optimatum pluralitati, Principis creandi eripiatur potestas. Quibus ergo eligendi arbitrium est datum, ij populum ipsum, & communitatem quæ ab Electo est gubernanda, omninò repræsentant; eiusque quo ad illam Electionem vicariâ vtuntur potestate.

Plerunque vero iureiurando promittere coguntur Ele-
4. ctores, se tantùm electuros, quem dignissimum esse putent: prout fit in electione Pontificis Romani: *Sleidan. lib. 21.* & Germanici Imperatoris *ex constitutione Aur. Bullæ. Carol. 4.* Quod etiam iuramentum, sibi inuicem Electores remittere non queũt. cum nempè publicum contineat fauorem, cui priuato renunciare non licet. *Buxtorff. θ. 28. lit. a.*

Porrò cum in ijs quæ ad plures, vt collegium, spectant,
5. maioris partis sufficiat consensus, neque vna omnium sententia requiratur; ideo is, à maiore qui parte ius eligendi habentiũ nominatur, pro Rege recognosci debet. Ita vt sola maioritas numeri, non etiam quod votum magis sanum sit inspiciatur. quippe cum pro parte maiore præsumatur; nec ratio rerum humanarum aliter constet. Modo tamen Electio secundum pluralitatem votorum suscepta, non antiquam contra consuetudinem impingat, aut in maximum Imperij vergat detrimentum. *Buxtorff. θ. 34.*

Proinde ius illud eligendi, non ad singulos eligentes; sed
6. vt ad Collegium & vniuersos spectare censetur. *Lupold. de Bebenpurg. d. iur. Reg. c. 6. Petr. de Andlo. 2. d. Imp. Rom. c. 3. ad fin. Gõden. cons. 1. Buxtorff. θ. 35. à pr.* Alias etenim maioris partis cõsensus non sufficiens esset. Quum in causis, quæ ad plures vti singulos spectant, omnium necessarius sit assensus. *Surd. cons. 65. num. 17.* & quod omnes tangit, debeat ab omnibus approbari. At cum Eligentes in locum populi succedant, qui non vt singuli, sed vt vniuersitas sibi Principem optat, debent isti eodem censeri iure: ex naturâ surrogatorum, Vtrum

Vtrum verò id, quod de maiore hic dicimus parte, intel- 7.
ligendum sit de parte maiore, concurrentium seu candidatorum habito respectu; an vero ipsius Collegij Electoralis? necessariæ explicationis videtur. In Germanico quidem Imperio, respectum ad Collegium ipsum, & numerum eligentium habendum esse Buxtorffius putat *thesi. 35 lit. d. & e.* In Pontificia Electione, ex Alex. 3. constitutione, pro Pontifice haberi non potest, nisi quis duarum ex Cardinalibus partium, suffragia integra ferat *Panvin. in addit. ad Plat. in vitâ Clem. 5.* Sed quid si à Septenario numero Imperatoris Creatorum, tres eligantur, nec quatuor concordes esse quirent in vno, quod facilè fieri potest: anne tum elusoria electio, Electorumque constitutio erit? Quod vix est, vt credere queam.

Iohannes XXII. Pont. Max. permisso sibi post mortem 8.
antecessoris, arbitrio Pontificis eligendi, seipsum nominauit. Quod referens Ioh. Nauclerus, *volum. 2. generat. 44.* Quamuis inquit, in aliis Electionibus, quis se ipsum eligere non possit: tamen in Electione Papæ non id prohibetur, cum sibi Electio est commissa. Et sunt qui Electorē, suffragio suo se nominare posse dicant. Id quod in Electione Ruperti Palatini contigisse ait Freher. *in not. ad P. de Andlo fol. 8. lib. 2. cap. 2.* Ita de Sigismundo Imp. Dubrauius scribit; *lib. 22. hist. Bohem.* Moguntino comitia Electoribus indicente; ad quæ cum Sigismundus Rex Vngariæ, tanquam Marchio Brandenburgensis venisset, dignitatisq; Regiæ gratiâ, primus sententiam esset rogatus, se ipsum nominasse. Me, inquiens, ego noui, alios non itidem, an æquè mecum Imperio Orbis sint digni, præsertim in tanto rerum motu. Miratos hanc tam liberam & apertam Sigismundi vocem cæteros Electores, communique assensu comprobantes, ipsum Cæsarem consalutasse. simileque exemplum de Magistro quodam Ordinis Teutonici ab Aen. Syluio refertur. *in Europâ. c. 29. add. Buxtorff. θ. 39.*

9. Rationes etiam optionis accelerandæ, in concordiamq; redigendi Electores, variæ à variis populis vsurpantur. Cardinales in conclauis angustiam adducti, fame coguntur, stato tẽpore Pontificem renuntiare. Seuerius etiam sacræ militiæ Equites quatuor & viginti, tam diu carceribus sine potu ac cibo continentur, quoad ordinis Magistrum, qui non ex eo sit numero, concordibus animis renuntiarint *Bodin. de Republ. 6. c. 5.* Aurea item Caroli IIII. statuit Bulla; quod si infra 30. dies à præstito iuramento, distulerint Electionem, non nisi panem & aquam manducent. *cap. 2. §. præstito.*

10. Vulgò ad Electionem etiam referunt sortem. *P. Gregor. 7. d. R. c. 14. Kirchner. disp. 4. th. 3. lit. C. Eber. à VVeihe. d. succes. prærog. G. 4. & c. Iac. Simanc. 3. d. Rep. c. 5. Schönborner. 2. pol. c. 2.* Sed illa neque suffragij, atque adeo ne Electionis quidem nomine, quæ certum consilium & rationem sequitur, continetur: atque ideo non nisi in rebus dubiis, & à gubernatione consilij, ratione que destitutis, & negotiis extremâ necessitate implicatis locum inuenit. In Magistratibus quidem eligendis, eandem Fortunæ Filiam Athenienses adhibuerunt. *Plutarch. Pericle.* Illud vero in statu tantùm populari, vbi ratio æqualitatis, Electionis & consilii certi excludit rationem, admittendum esse Philosophus monet. 6 *polit. 2.* Quam eandem ob caussam, etiam à Venetis casum sortis, ad constitutionem Magistratuum adhibitũ fuisse, testatur Contarenus. *1. de Rep. Venetâ.* quod nempe non tam Electio, quam sortitio ex paribus esset instituenda. Idem intuitus æqualitatis, in septem Magis Persarum sortis imposuit necessitatem, dirimendæ electionis contentioni *Herodot. libr. 3.* Et itaque quemadmodum diuisio hereditatis, sortitione ordinata, ob immodicam rescindi potest portionum inæqualitatẽ: *Pruckm. cons. 29. part. 1.* Ita & hoc nostro in casu, tũ demũ sortem duci posse putarem, si eorum ex quibus vnus est eligendus, parilis omnino paritas inueniatur. *Keckerman. 1. pol. 4. fol. 119. & disp.*

disp practic.29 probl.15. Frider. Tileman.disp.ff.tomo 1.disputat. 2.θ.15.

Libera suffragia, hanc regulam liberè & seriò sequantur, quam Imp. Alexander, in creationibus Magistratuum obseruandam præscripsit: *L.vn.C.si propter inimic.creat.* vt nimirum ex commodo Reip. & verâ æstimatione creandorum fiant. Dignitas autem Reip. & vtilitas metienda, non tam externis, quã internis Principis bonis: neque respectus maior habendus ad diuitias, ad potentiam, generisque antiquitatem, quam ad eas animi facultates, ingeniique vires, quæ primario ad gubernationis felicitatem requiruntur. *P. Gregor.7.ca.13.16. & 17. Kirchner.disp.4.θ.3.b.* Ita Archiepiscopus quidam Moguntinus, in Electione Rodolphi I. sapientiam & strenuitatem, diuitijs & potentiæ præferendam esse, opportunè olim monebat. *Albert.Argent.in Chron.fol.100.* 11.

Cum etiam mortales, variis donis distinxerit Deus, multumque referat, hominis scire nationem: curæ pretium ideò est, ex eâ gente & familiâ sumere Reges, quæ virtute aliis antecellit. Existimat enim IC. Vlpianus, *L.31.§.21.d.Aedil. Edict.* quasdam nationes sceleribus infamatas, quasdam virtutibus conspicuas esse. quam sententiam etiam Saluianum Massiliẽsem approbare constat: is quippe Gothos perfidos sed pudicos, Alemannos impudicos sed minus perfidos, Francos mendaces sed hospitales, Saxones efferos crudelitate, sed castitate mirandos, Afros omnibus vitiis nobilitatos, & Albanos asserit esse rapaces. *d guber.Dei li.7.f.239.vbi Rittershus.in not.* Et similiter fieri quandoque videmus, vt maximæ Principum familiæ aliorumque, peculiaribus virtutibus vel vitiis sint insignitæ: & eandem naturam continuatâ serie seruent. *Machiavel.3.discurs.c.46.* 12.

Quamuis in iure nostro, ad Remp. administrandam, minores 25. annis, admitti non oportere dicatur. *l. ad Rempublicã.* 13.

8 *ff. d. muner l. 6. & l. 11. ff. de decur.* & tamen varia in contrariũ exempla, ſuppeditant omnium gentium ſeculorumque documẽta. Ipſa Germania noſtra Ottonem III. admodum puerum, Henricum III. duodecimo anno, Henricum IIII. octauo; vigeſimo Fridericum & Wilhelmum, Wenceſlaum decimo quinto, Carolum V. decimo nono ſumpſit Imperatorem.

14. In primis autem non atheus, omniſque Religionis contemptor, ſed verâ præditus pietate (quam non ex ſimulato zelo promouẽdæ tutãdęq; Religionis, ſed ex operibus verè Chriſtianis, & à Phariſaica Iuſtitia quæ toto genere diſtant, æſtimare debemus) non Paganus, vel Hæreticus in ſolium eſt collocandus. In Germania forſan dubitari poſſet, an etiam proteſtantiũ Religioni addictus, in Imperatorem eligi queat? Id quod confidenter affirmat Buxtorff. *theſi. 30. d.* Romani è contrà Pontifices hoc negant, & Imperium Romanum, ſedis Apoſtolicæ eſſe Feudum, Cæſaresque Pontifici homagio obligatos eſſe contendunt. quod vulgati illi arguunt verſus:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores;
Post homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Hadrianus Papa, in celebri Principum Imperij conuentu, tempore Frid. I. Barbaroſſæ, per Legatos referri iuſſit: Romanum Imperium à Græcis traſlatum eſſe ad Alemannos, vt Rex Teutonicorum, non antè quàm ab Apoſtolico coronaretur, pro Imperatore haberetur. Vnde igitur (ita concludunt Legati) Imperium habet niſi à nobis? Sicut Zacharias tranſtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos, ita ab Alemannis ad Græcos transferre poteſt Papa: in cuius poteſtate eſt, dare illud cui vult. Propterea à Deo conſtitutus ſuper gentes & Regna, vt deſtruat & euellat, ædificet & plantet. Si itaque quod Pontifices volunt, Imperium Romanum Papalis ſedis Feudum exiſtit; ſanè eius capax eſſe non videtur, qui ſedem illam Regnum Antichriſti, & Diaboli mancipium eſſe contendit; id quod faciunt Lutherani.

rani. cum quippe iure Feudali, qui graues, vel inhonestas iniurias, intulerit Domino Vasallus; beneficium amittat eo ipso. *li. 2. Feud. t. 24.*

Sed quemadmodum, cùm Adriani Pontificis Legatus, 15
talia in Principum Germanorum conuentu impudentissimè effundere auderet; tum Otto de Wittelspach stricto ense, quem ante Imperatorem progerebat, Legatum zelo verè Germanico refutare conabatur: eumque dubio procul, si non intercessisset Imperator, confodisset. *teste Gunthero. Ott. Frisingens. & Radevico.* Ita iam dudum solidissimis approbatum est argumentis, Imperialem dignitatem potestatemque, non aliunde ab antiquo, quam immediatè à Dei Filio processisse. *l. 1. C. d. vet. iur. enucl. Novell. 28. c. 4. in fin.* Sique Imperium à solo Deo, conspirante Electorum venit consensu, nullum certè beneficium adest, intuitu cuius Fidelitas iuretur. Regique inde Romanorum, non quoad quascunque Imperii eminentias consequendas, Papæ vel etiam Ecclesiæ Romanæ nominatio, vel Personæ approbatio necessaria erit. *hoc, præter auctores quos in tr. d. appell. c. 2. fol. 36. & alibi etiam adduxi, firmiter inprimis nomine Ferdin. Imperatoris adstruxit D. Sigmund. Seld. Vicecancell. Imp.* **In einem Rhatschlag/ von der Keyser vnd Päbst gewalt.** &c.

Cum itaque maiori Electorum placuerit parti, ex Prote- 16
stantium ordine sumere Imperatorem, Legitimus & summus is erit Magistratus: aut si Imperatori veram nostram amplecti libuerit Religionem, non eo minus imperiale fastigium retinebit. Quippe si Principes Electores, per quos cœpit, & in quibus consistit Imperialis gloriæ celsitudo, qui & in sollicitudinis partem cum Cæsare sunt vocati: *vt loquitur Sigismund. Imperat. in Bulla, d Iur. & Succes. Elect. Palat.* Si, inquam, Electores, & Principes alii, Pacis Religiosæ beneficio fruuntur: quid, quæso, absurdius fieri existimarique potest, quàm Imperatorem deterioris

rioris hac in parte facere conditionis, & ius quod membra habent, capiti denegare?

17. Leges etiam Electo, antè, vel in ipsa Electione sunt præscribendæ; non etenim hoc post Electionem fieri potest: scitum enim est, illam donationem semel consumatam ac perfectam, non capere conditionem. *arg. l post perfectam. C. de donat. quæ sub modo.* Et aliàs simpliciter qui est Electus, pari iure cum eo qui Imperium ex Successione habet, fruisci putatur. *vt dixi disp. 4. ad t. d. Iust. & iu. coroll. 3.* Ita Peregrino est interdicēdum, ne per Legatos Regnum administret: quod Polonos imprudēter neglexisse notat Bodinus. *6. d. R. 5. num. 721.* In quas vero Leges Romani Impp. iurare cogantur, videre licet **auß der Verschreibung König Karle des Fünfften / gegen des H. Röm. Reichs ChurFürsten.** quæ integra ponitur apud Goldastum. *tomo 1. constitut. v. etiam Sleid. 1.*

18. Specialia nunc aliquot exempla, & formulas Electionum subiungam. In Romuleio Regno, Electio iussu Populi fiebat, auctore Senatu; per Interreges. *Liuius lib. 1. Dionys. Halicarnas. lib. 4.* Et memorabilis est cum primis Electio Numæ: vbi duæ Electorum factiones, ita conuenerunt; vt vna ex numero alterius, optaret omnibus Regem. *Plutarch. Numa.*

19. Imperatorum Romanorum Electionem, Militares copiæ arripuerunt; diuulgato magno Reipub. malo, post obitum Neronis, Imperij Arcano, posse Principem alibi fieri quam Romæ. *Tacit. 1. hist.* Licet militibus contradixerit semper, & non rarò ius hoc sibi vendicauerit Senatus. Milites nonnunquam ad defensionem afferebant, se id circo fecisse, quod nescîscent Senatum Principem appellasse. Nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Avidium Cassium, & antea Lucium Vindicem, & L. Antonium, & ipsum Seuerum, quum Senatus iam Iulianum dixisset Principem, fecerant Imperatores. atque ista res seuerat ciuilia bella: quibus necesse fuit militem contra

hostem

hostem paratum, parricidialiter perire. *Lamprid. Alexand. Severo. à pr.* Hadrianus cum scriberet ad Senatum, veniam petiit, quod de Imperio suo iudicium senatui non dedisset: salutatus sc: præproperè à militibus Imperator, quòd esse Resp. sine Imperio non posset. *Spartian.* Hocque ius post tot electiones militares, tandem ad se redijsse (cum nempè mortuo Aureliano, exercitus ad Senatum scripsisset, vt dignũ mitteret suo iudicio Principem: *Vopisc. Aurel.* & ex SC. Tacito Imperatore facto) quantum Senatus gloriatus fuerit, refert Vopiscus in Floriano. Etquidem gloriari merito potuisset Senatus, si ius id retinuisset. Tumultuariæ quippe & inordinatæ Militares Electiones, Imperium illud cumprimis euerterunt.

Electio Pontificis Romani, quam soli nunc sibi adscribũt Cardinales, ad Imperatores pertinuit olim, & adhuc pertinere debebat. *Vasqui. illustr. 22. num. 7. vsque 11. Matth. Stephani 3. d. Iurisd. 1. c. 2. num. 13 &c. Simon Schard. in ἀναμνησ. Iuris, quod in approb. Pontif. Impp. habuerunt iunctâ tract. eiusd. d. Elector. Ioh. VVolfius in Lect. memorab. multis locis: quæ notat Index in verbo Papa. M. 4. fac. 2. col. 2.* Cum enim Carolus ille Magnus, à Romanis in auxilium ascitus, Regem Longobardorum Desiderium vicisset, eamque ob caussam Adrianus Pontifex Romanus, Cõcilium 153. Episcoporum conuocasset; perpetuum, vt inquit Auentinus, *lib. 4. annal.* factum est Patrum cõsultum, & in verba Caroli iuratum, nullum post hâc neque Romanum, neq; aliorum Templorum Antistitem fore, nisi quem Carolus eiusque Successores sciuerint iusserintque: refragrantes huiusmodi Decreto, deuoti sunt diris, & nisi resipuerint proscriptio adiecta. *Add. Rein. Reinecci. in not. ad Annal. de gest. Carol. M. Anonymi Auct. f. 47. b. & multis seqq.* 20.

Sed nec statim postquam Cardinales soli, de Electione Pontificum suffragia ferre solebant, Conclauis inuentus fuit vsus. Quippe A. 1268. Clemens IIII. Papa, cum Viterbij obiis- 21.

set, Cardinales qui tunc in Curia Romana præsentes erant, numero 17. in creatione futuri Pontificis dissentire cœperunt, Electionisque ratio, adeo discordiis fuit agitata, vt propè in triẽnium protraheretur. Sæpius siquidem congregati, negotium conficere nullâ ratione valuêre, dum vnusquisque ad Pontificatum adspirans, nemini cedere vellet. Eo autem tempore nequaquam, vt nunc fert consuetudo, Cardinales in conclaui recludebantur; sed summo mane singulis diebus vnâ conueniebant, de Rom. Pontificis electione tractantes. Quo interim tẽpore, ad Curiam Romanam Viterbium venerunt Philippus Francorum, & Carolus Siciliæ Reges, Collegiumque pro celeri & matura Pontificis electione rogantes, parum profecerunt; sed rebus infectis sunt reuersi. Tandem post longissimum duorum annorum, mensiumque nouem interregnum, quod maximo Reip. malo & incommodo fuit: à Viterbiensibus propemodum coacti, cum discordantibus animis, vt vnum ex se eligerent fieri non posset; per viam compromissi in sex Cardinales facti, Pontificem Max. renuntiarunt Thealdum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, extra Collegium & absentem. Vnde Cardinalis Portuensis, sequentes de illa Electione versus edidisse commemoratur:

Papatus munus tulit Archidiaconus vnus,
Quem Patrem Patrum, fecit discordia Fratrum.

Is postea Pontifex, & Gregorius X. dictus, altero post consecrationem Anno, Christi vero 1274. maximo Christianorum Cõcilio, Lugduni in Galliis congregato, multas super Ecclesiæ Romano-catholicæ conseruatione edidit Leges; inter quas quoq; nonnullas de futurâ Rom. Pontificis tulit Electione, quibus Conclauis introduxit vsum: *Girar. tom. 1. lib. 12. f. 1024. Ieh. de Serres tom. 1. f. 506.* quæ ad Comitia Põtificis pertinẽtia decreta, processu temporis paululum variata, in eam redacta sunt formam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [132] - 126

mam; vt apud Onuphr. Panuinium, *in addit. ad Platinam, in vita Gregor. 10. fol. m. 234.* videre licet. 22.

Nunc ergo Patres Conclaue ingressi, diem integrum sequentem, formandis legibus impendunt, ad sanam Pontificis Romani administrationem quę maxumè necessariæ videntur. His actis, statо quodam die comitia indicuntur: tum absolutis Spiritus Sancti sacris, suo se loco per subsellia disponũt. Quisq; autem quos eligere decreuit, in codicillo antè describit, eumque suo annulo obsignat. Calix in quo illo die sacra sunt facta, ad medium constituitur Altaris; post hæc singuli Patres ante Altare in genua procidentes, Codicillum sigillatim in calicem dimittunt; numerantur mox Codicilli, quorum vt conuenisse numerus inuenitur, singuli à Decano aperiuntur, ac Diacono proximo pronuntiandi traduntur. Debitus autem numerus, si ex Codicillis adimpletur, tum Pontifex est creatus: sin minus, liberum est cuique quem voluerit Patrum, non electum à se scripto, eligere voce; quæ Electionis ratio, Accessus appellatur. Alius est quoque mos Pontificis creandi, qui dicitur per Adorationem: cum nempè duæ Cardinalium partes, non exspectato, vt vocant, Scrutinio, sed vocetenus omnium consensu, quempiam ex Cardinalibus venerantur. Qua ratione Iul. III. Marcel. II. & Paulus etiam IIII. acnuper Leo XI. renunciati fuerunt. *v. Panvin. in addit. ad Platin. in vita Clem. 5. Sleidan. hist. l. 21. f. 669. &c. Mercure François, en la suite de l'hist. de paix. à princ. addatur etiam Supplicatio ad Imperat. Reges &c.*

super causis generalis Concilij conuocandi contra Paulum quintum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [133] - 127

DISSERTATIO III.

DE ELECTORIBVS IN IMPERIO GERMANICO-Romano.

1. IN Imperio Germanico-Romano, Electioni Imperatoris, certas Leges Caroli IV. præscribit Aurea Bulla, quas Imperator ille, ad vnitatem inter Electores seruandam, Electionēque concordem introducendam, & diuisioni varijsque ex eâ periculis subsequentibus aditum præcludēdum, A. 1431. in Comit. Norimbergæ, industriâ curâ sanciuit. & eruditissimo nuper commentario Gerlacus Buxtorffius illustrauit. Bulla autem hîc, non Latina sed Græcanica vox est. Litteras enim Imp Græci posteriores βλάς vocarunt, quòd in ijs consuleretur aut decerneretur aliquid ab Imperatore, cui interdum aurum adiectum, quod quasi pro sigillo erat. *Christ. Colerus parerg. c. 4.*

2. Plenarium nuncius Electionis apud septem Electores residere videtur: forsan ad imitationem Persarum, vbi septem Consiliarij erant; qui etiam Darium Hystaspis filium, post mortem Cambysis suffragiis communibus Regem elegerunt. *Ioseph. 11. antiq. c. 3. in fin. & c. 5. à pr.* At vero de origine & antiquitate Electorum Germanicorum, varij varia tradiderunt: vt mirum non immeritò videatur, rei tam magnæ, ita incertam & exiguam notitiam ex historicorum monumentis hautiri posse. *vr. Franc. Iren. 3. c. 27. & c. 31. Dubrav. in hist. Bohem. lib. 6. f. 43. H. Mutius. hist. Germ. lib. 14. Peucer. in Chron. in vita Otth. 3. Simon Schardius tr. de Princip. Elector. lib. sing. Nic. Cisnerus Orat. d. Otthone 3. Mich. Beuther. anima d. v. hist. c. 13. Mart. Crusius. Annal. part. 2. fol. 161. & 166. Heigius part. 1. quæst. 3. & 4. Knichen. de Saxon, non prouoc, iure, ad v. Electorum. c. 1. Thuan. lib. 2.*

lib. 2. fol. 25. & seq. Paurmeister *2. d. Jurisdict. cap. 8. Goldast. in replic. adverſ. Jac. Gretſer. c. 38. ad fin. Matth. Stephani. 2. d. Juriſd. cap. 5. num. 3. 7. 8. Freherus ad Petr. de Andlo 2. c. 1. Betſius d. pact. fam. c. 7. fol. 247. Kirchner. diſp. d. Rep. 4. coroll. 2. & 3. Arniſæ. doctr. pol. cap. 8. fol. 180. Buxtorff. θ. 13. & ſeq.* Schönborner. *pol. 5. c. 32. Chriſt. Matthias Dithmarſ. colleg. pol. 2. diſp. 2. quæſt. 12.*

Ego Electorum inſtitutionem, minimè Othoni 3. ſed ei demum ſeculo, quod Impp. ex Seviæ Ducibus creatos, fuit ſubſequutum, attribuere queo. Auctoritate fretus eorum, qui cùm Imperatorum Electiones accuratè deſcribant; nec tamen reliquos Principes ab Electione excludunt. Wippo in vitâ Conradi Salici. *c. d. Elect. Regis, fol. 424.* Inter Moguntiæ, inquit, confinia & Wormatiæ, locus eſt, amplitudine planitiei cauſsâ, multitudinis maxumæ receptibilis. ibi dum conveniſſent cuncti Optimates, & ut ita dicam, vires & viſcera Regni, cis & circa Rhenum caſtra locabant. Quæritur de re ſummâ, dubitatur de Electione incertâ: inter ſpem & metum ſuſpenſi, alterna deſideria cum invicem cognati, tum inter ſe familiares, diutiſſimè explorabant. Cum diu certaretur, quis regnare deberet, inter multos electi pauci, & de paucis admodum, duo ſunt ſequeſtrati, in quibus examen extremum ſummorum virorum, ſummâ diligentiâ diu deliberatum, in unitatis puncto tandem quievit. Erant duo Chunones, &c. In majore Chunone & Juniore, diu reliqua nobilitas pendebat, ad extremum verò Divinâ providentiâ contingit, ut ipſi inter ſe convenirent; ut ſi quem illorum major pars Populi laudaret, alter eidem cederet ſine morâ, &c. Et paulò pòſt, Majorem Chunonem, Patruelem ſuum, ita adloquentem facit hiſtoricus idem. Hoc modo animi mei vigorem, magnis gaudiis augeri ſentio; quod ex tantâ Concione, conſenſus parilis omnium, nos duos ſolummodo prævidebat, In omni Electione ne- 3.

mini licet de se ipso judicare. Quod si alicui de se liceret, quot Regulos, ne Reges dicam videremus? Non erat nostræ potestatis, hanc dignitatem ex multis inter binos coarctare. Vota, studia, consensus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum, Alemannorum, qui optimam voluntatem habebant, ad nos conferebant, &c. Tandem Wippo pergens: Principes, ait, consedêre: populus frequentissimus adstabat,

Tunc quod quisque diu velatum corde tegebat,
Ferre palàm licitum gaudebat tempus adesse.

Archiepiscopus Moguntinus, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à Populo quid sibi videretur, laudavit & elegit maioris ætatis Chunonem. Hanc sententiam cæteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum ordinum viri, indubitanter sequebantur. Iunior Chuno, paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus, maxumo fauore, illum ad Dominum & Regem elegit, &c.

4. Ad eundem fermè modum, & Guntherus in Ligurino, *lib. 1.* Electionem Imperatoriam versibus repræsentat.

Conueniunt Proceres, totius viscera Regni,
Sede satis notâ, rapido quæ proxima Mago, &c.
Hûc sacri, celebresq; viri, quos laude serenâ,
Infula, vel gladius Mundo facit esse verendos.
Ex omni regione fluunt, ad publcia Regni
Commoda: de summis agere ac disponere rebus
Exactâ ratione parant:
Sic postquàm sedere Duces, dubioq; volutant
Pectore, cui tanti Regni tribuantur honores.
Saxones & quorum Ripuaria nomine tellus,
Westvaliæq; urbes, & Norica rura regentes,
Allobrogumq; Duces coëunt, Cymbriq; feroces.
Vindelici, Rhætiq; ruunt, quos Suevia nutrit, &c.
Quæq; suos Vrbes hûc direxere potentes, &c.

Paulò

Paulò pòst.

Sic vbi melliflua, quisquis fuit ille, disertus
Voce perorauit, concordi protinus omnes,
Assensère sono, &c.

Et insuper, Septemuiros Imperii, ius eligendi que po- 5.
testatem ita habuisse, vt tamen cogerentur eum eligere, quem Principes communibus suffragijs prætaxassent, id est, prænominassent, ex Alberto Stadensi colligere quimus. *sub Anno Domini 1240. fol. 215.* Quod idem nos docet auctor Speculi Saxonici, Ecco de Repkaw. *libr. 3. tit. 57.* qui ita scribit: **An deß Keysers Wahl / soll der Erst sein der Bischoff von Mentz / Der Ander der Bischoff von Trier / vnnd der Dritt / der Bischoff von Cöln. Vnder den Leyen Fürsten / ist der Erste an der Wahl / der Pfaltzgraff beym Rhein / deß Reichs Truckseß / der Ander der Hertzog von Sachsen / deß Reichs Marschalck / Der Dritte der Marggraffe von Brandenburg / deß Reichs Kammerer / Der Vierdte der Schenck deß Reichs / das ist der König von Behem. Vnd also kiesen jhn deß Reichs Fürsten / beede Pfaffen vnd Leyhen. Die aber zu dem ersten in der Wahl benandt seind / die sollen nicht wöhlen nach jhrem Mutwillen / wene sie wollen / sondern welchen die Fürsten alle zu einem Könige erwöhlen / den sollen sie auffs allererst bey Namen nennen vnd kiessen.** In eandem sententiam, & in **Landt: vnd Lehenrecht** / siue Speculo Sueuorum *lib. 1. cap. 29. §. 4.* Legimus ordinatum: **Sie sollen dargebietten** (Moguntinus scilicet & Palatinus) **zu dem Gespräche jhren Gesellen** (id est, Coëlectoribus) **die mit jhnen da wöhlen sollendt. Darnach den andern Fürsten / als vil sie jhr gehaben mögen.** Quod & firmat **Weichbild** / siue Ius Municipale. *art. 13. & 14.* vt & Ius Saxonum Feudale. *cap. 4.*

Quin & prædicti non semper primi in Electione fuerunt: 6.
alios enim nominat Matth. Paris, *in hist. Anglicana, sub Henr. 3. fol. 655.*

fol. 655. Austriæ nempe, Bavariæ, Saxonum ac Brabantiæ (qui & Louaniæ) Duces. Et Prælatos principales, Archiepiscopum Colonienſem, Maguntinum, Salburgenſem. Ita ut probabile mihi videatur, Carolum 4. primitiùs hanc potestatem Electoribus (qui secundum antiquam consuetudinem iam antè Electionis directionem habeant) absolutè dedisse. Eundem ius Primogenituræ in Electorales familias induxisse (cum pluręs olim ex eâdem familiâ adfuisse, in vetustis Chronicis legatur) ordinem item Collegij, modumque suffragiorum ferendorum, longè alium quàm fuerat consuetudinis antiquæ, instituisse.

7. Mich. quoque Beutherus, *animad. hist. cap. 13.* numerum etiam ab eodem auctum, & Regem Bohemiæ additum, asseuerat. At illi refragari dicit Kirchner. *dict. coroll. 2. ad fin.* historias Electionum, quæ Bohemi faciunt mētionem. Sed Abbas Alb. Stadensis, sub An. 1240. scribit: Bohemiæ Regem, Pincernæ quidem munere fungi; verùm non eligere, quia Teutonicus non habeatur. & Speculator Saxonici luris: 3. *art. 57.* Bohemiæ, inquit, Rex, Pincerna est, qui non eligit; quia nostræ non est nationis. *vid. Freher. ad P. de Andlo. 2. cap. 2.* **Schönborner.** *5. pol. cap. 33.* Vnde ille in multis quoque Electionibus præteritus fuit: Quamuis aliud ex Aurea Bulla Gerlac. Buxtorffius *b. 18. lit. d. & b. 49.* adstruere nitatur. At nunc Caroli 4. sanctione, nullo modo is excluditur ab Electione: sed tertium votum illi attribuitur purè; ita ut impunè præteriri non queat, ob pœnam ibi expressam. Et inde cum in Electione Maxæm. I. Regis (credo quòd non satis conueniebat inter Frid. Imp. & Regem Ladislaum) exclusus fuisset; adeò non dissimulanter id tulit, vt pœnam Aureæ Bullæ acerrimè postulare non cessaret, & arma minitaretur. *Hart. Maurus. in Coron. Carol. V. Imp.*

8. Moguntinus (qui iam in Electione Conradi Salici, primum

mum suffragium habuit; *supr. n. 3.* omnium suorum Coëlectorum vota singulariter inquirere debet. *Aur. Bulla cap. 4. §. cæterum. Buxtorff. θ. 42. & 45.* Qui vicissim à Saxone interrogatur. *Petr. Albinus* in der Meißn. Landt Chronick *fol. 217. & 219.* Idem etiam Moguntinus (tanquam Collegii Electoralis Decanus) Electionem cæteris intimare debet. licet eandem olim potestatem, vel alternativè, vel vnâ cum Moguntino, etiã Electori Palatino competijsse, historiarum suadeant monumenta. *Buxtorff. θ. 15. 16. 17.*

Seculares Electores, iure gaudent electionis, etiamsi Cæsaream nondum acceperint investituram. Quod text. euincit Aureæ Bullæ *in cap. 20.* vbi dicitur: Eum qui est in possessione Principatus, debere quoque ad ius, vocem & potestatem eligendi, absque contradictione admitti. Vt & aliàs omnes Feudi fructus, ad Vasallum ante petitam Inuestituram intra annum; & pòst etiam, si inuestituram petere non possit, spectare dicuntur. Ipsi quoque Principatus, quibus ius suffragandi, & alia Regalia adhærent, statim heredibus cedunt, post apprehensam possessionem; iam enim per primam inuestituram, pro se suisque heredibus, ius id perpetuò, irreuocabiliqúe acquisiuerunt nexu. *Buxtorff. θ. 85. ad fin. & θ. 29. lit. c. Item, θ. 18. b. & θ. 48.* De Archiepiscopis dubitatio maior moueri posset: qui demum postquàm Feudum ab Imperio susceperunt, non etiam antè, iura Feudi exercere posse dicuntur. Sed nec hoc impediet Forsan: & fieri aliàs posset, vt multis vigiliis excogitatus electionis ordo rituqúe, à fine aberraret præfixo. Non puto ex formulâ iuramenti, quæ habetur *cap. 2. §. 1.* Aureæ Bullæ (ibi: per fidem quâ Deo & S. R. I. sum adstrictus) concludi aliud posse. non etenim Fidem (auff die Truwe) pro fidelitate seu iureiurando quod vasallus Domino præstat, necessariò accipiendam esse censerem. Adhuc minus negotij facit; si Ecclesiasticos Electores, nondum à Pontifice confirmatos vel infula- 9.

tos, vt loquuntur, esse contingat: propterea quòd jus eligendi, ad hos Archiepiscopos, non tanquam ad Ecclesiasticos, sed tanquam ad Principes Imperij spectet. *Molinæ in consu. Paris. in præf. num. 71. Matth. Steph. d. jurisd. 2. part. 1. cap. 5. num. 58.* Licet munia in Coronatione Imperatoris ipsis destinata (cum ea ordinis Episcopalis esse censeantur) non nisi post consecrationem obire queant.

10. Electioni quoque Lege definitus est locus, Francofurtum ad Mœnum, quod etiam ante Caroli 4. legem, legitimi continuit suffragij finem. *ut ex Gunth. supr. num. 4. laudatis versibus apparet.* Vnde disputatum de quorundam Electionibus olim, quæ alibi peractæ. *Kirchner. disput. 4. θ. 2. a. ad fin. Buxtorff. θ. 21.* Et refert etiam Munsterus 3. *Cosmogr. cap. 19. sub. Imperator. 39.* introitu Francofortenses prohibere eum, qui discordi electione ad Imperium peruenit; si non aliquot priùs menses aduersarium ante Mœnia exspectarit, venientemque depulerit victor.

Libri III.

VBI AFFECTIONES ALIQVOT SVCCESSORII ET OPTIVI REGNI CONFERuntur;

CAPVT I.

DE INAVGVRATIONE, SEV CONSECRATIONE Regum.

1. INITIUM tam Electivi quam etiam Successorii Principatus, certis plerunque Symbolis insignitur: quem actum Inau-

Inaugurationem vocamus: *Keckerm. 1. pol. 4. fol. 125. &c. adde Casum. Sphær. civit. 3. cap. 9. fol. 204.* & quæ nihil aliud est, quàm commissio & traditio Imperii sollemnis : quâ in possessionem inducitur & mittitur Rex novus. *Phil. Hænnon. disp. pol. 3. θ. 33.* Cum nempè novus Princeps, in publico sistitur & proclamatur: cum insignia Regia ei traduntur: cum sacris initiatur publicè in templum deductus: cum cives vel optimates ei præstant juramentum subjectionis. Cum convivia & Pompæ, pro more cujusque gentis instituuntur. *vid. Alex. ab Alex. Genial. 1. cap. 28. Tholos. 6. R. cap. 20. Olaum Magnum. hist. Septentr. 14. cap. 6.*

Ejusmodi modus Inaugurandi, antiquissimus existit, & 2.
in Populo DEI frequenter admodum usitatus fuit olim. Sic enim ex præcepto DEI statuit Moses Josuam Filium Nun, coram Eleazaro Sacerdote, omniqúe frequentiâ Populi; & impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Jehova. *Numer. 27. v. 22. &c.* Electo Saule, toti Populo Samuel dixit: Videtisne quem Dominus elegit, non esse ei similem in Populo universo. Tum clamavit totus Populus; Rex vivat. 1. *Sam. 10. v. 24.* Sic Sador Sacerdos, cornu olei è tentorio accepto, unxit Salomonem; & clangens buccinâ, dicebat totus Populus: Salomon Rex vivat. *1. Reg. 1. c. 1. v. 39.*

Consuetudo Romanis, cum quibusdam gentium Ger- 3.
manicarum erat communis; Principem Electum, impositum scuto, militum humeris extollere in altum. *Freher. ad P. d. Andlo. 2. cap. 6. fol. 171. b. & seq.*

Quo ritu solemnitateque coronati olim fuerint Reges 4.
Persarum, à Plutarcho cõmemoratur. *in Artoxerxe.* De Romano-Germanicorum Imperatorum consecratione, sollicitâ curâ Leges tulit quàm multas Carolus 4. *in Aur. Bull. adde Thuan. lib. 31. fol. 644.* Et Inaugurationem Regum Galliæ, eleganter describit Sleidan. *lib. 19. circa med.* Claude Fauchet. *d. orig. des*

dignitez. cap. 3. Tillet. au recueil des Rois. fol. 259. & in annot. fol. 119. Oleum ibi intervenit Sanctum; quod cum Clodoveus Baptizaretur, de cœlo fuisse missum, & adhuc hodie Rhemis religiosè custodiri dicunt. *Girard. lib. 1. fol. 56.* Unde Archiepiscopi Rhemenses, non alibi ungi consecrariq́ue posse Reges contendunt. *Girard. lib. 6. fol. 624. &c.*

Quin & Turcarum Sultani, cæremoniâ ritu q́u singulari, in Regiam sedem, quam Tachtum adpellant, collocantur. *Leunclav. hist. Musulm. lib. 5. f. 218.*

5. Quæri heic licet, an necessariò ad constitutionem Regis, Inauguratio sive coronatio requiratur? Sed Principatum & Imperii potestatem consistere, etiam absque inauguratione, vix aliquem dubitare posse censerem: sicut verum ac legitimum coujugium putatur, etiamsi sollemnia nuptiarum, nondum sint celebrata.

6. Addubitari non potest, ait Cicarella, *in vit. Pontif. Urban. 7. f. mihi 458. col. 2.* Quin Pontifex etiam ante coronationem, verus sit Pontifex, & omnia possit administrare. Distinctione namque 23. *can. In nomine Domini.* decretum invenimus, ut is qui electus est in Apostolatum, si juxta consuetudinem nequeat intronizari; electus tamen sicut Papa verus, auctoritatem obtineat Romanam Ecclesiam regendi, & disponendi omnes facultates illius. Ac Clemens quoque V. excommunicatione notavit eos, qui dicere sunt ausi: Pontificem non posse, priusquàm fuerit coronatus, ea facere, quæ post coronationem. *extravag. com. ultimâ.*

7. Ita ut absurdum sit quod Pontificii dicunt; Imperatorem priusquam à Pontifice acceperit coronam, non absolutè Imperatorem, sed Electum tantùm indigitari: substantialia rei, quidditatemq́ue, ut Scholastici loquuntur, cum sollemnitate extrinsecâ malè confundentes. *vid. supr. lib. 2. diss. 2. num. 16. & 20. Buxtorff. θ. 29. g. Barth. Muscul. d. Succes. anomal. membro*

bro. 1. ad fin. f. 49. &c. Tob. Paurmeist. d. Jurisd. 2. c. 4. n. 4. &c. Marsil. Patavin. in def. pacis. part. 2. c. 26.

Confirmatio enim illa Imperatorum, quam sibi Pontifices sumunt, ex vnctione & benedictione, seu consecratione initium cœpit. Imperio namq; Constantinopolim translato, cæteris Electionis Regiæ cæremonijs, Hebræorum imitatione, & hæc addita fuit, vt quam primum Imp. renunciatus esset, à Patriarchâ in magnâ Bizantij Basilicâ oleo vnctus, diademate aureo coronaretur. Hoc modo primum ab Anatolio Patriarchâ coronâ ornatum legimus Imp. Leonem. Iustinus vero auunculus Iustiniani, primus omnium à Iohan Pontifice Romano vnctus coronatusq; fuit. *Philip. Melancht. in Chron.* Quam cæremonialem sollemnitatem, animo lubenti receperunt Impp. non quòd potestatem aliquam magis amplam se inde consequi arbitrarentur: sed precibus Ecclesiæ & benedictione, ea cupiuerunt interiùs sibi dona augeri & conferri, quę exterior atque visibilis vnctio præfigurabat *arg. c. 1. ex. d. sanct. vnct. Alberic. d. Rosate, ad L. bene à Zenone. num. 19. C. d. quadr. præscriptione.* 8.

Non tamen oportet confundere confirmationem sive consensum subditorum, cum ritibus inaugurationis. *Keckerm. disp. pract. 29. probl. 16.* Ex quo intelligere quimus, id quod legimus apud Froissardum: etiam tertiæ Lineæ Franciæ Reges, ante inaugurationem, non se Reges sed Regentes tantum appellitasse. *tom. 1. de L' hist. cap. 221. & seqq.* 9.

In Regnis quoque, quorum Reges, superiorem alium, vel Populum vel Principem obseruant, non sufficit Electio aut ius Successionis, sed insuper necessaria est confirmatio superioris: quod Cabotius. *lib. 1. c. 12.* manifestum facit exemplis, ex variâ historiâ petitis. 10.

Sed quemadmodum Regna quæ suffragijs deferuntur, non successorio propterea censenda sunt iure, eò quòd in his 11.

sæpe parentibus filii surrogantur, & ex gentis more habent prærogatiuam: vt iam modo supra, suo pertractatum est loco. *lib. 2. diss. 1. num. 8. & 9.* quoniam nempe illo in casu, haut successionis ex vi, verum electionis vigore, ad Regna perueniunt paterna. Ita è contrario, Electione licet non opus habeat ille, quem ipsa natiuitas dedit Regem: attamen de consuetudine recipitur ibi quandoque Electionis quædam imago, substantiam interim non alterans successionis. *vid. Keckerm. 1. polit. 4. fol. 121.*

12. Si itaque in Successorio Regno, mos sit Principem in publico sisti, Populum adsentiri, acclamare successioni, &c. non protinus ex eo, Regnum suffragiis mage, quàm Successione obvenire, concludendum videtur. Obligatio sed potiùs, & reciprocus contractus, inter Principem & Populum, cum primùm Regnum in illam familiam transferebatur, initus, in memoriam saltem hâc sollemnitate revocantur; Successionemque illam gratam esse Populo declaratur: non autem aliud præterea novo Regi, quod prius non habuerit confertur. quippe nam, etiamsi successio improbaretur; nihilominus ei qui legitimus est Successor, Imperium deberetur. Qualibus ex fundamentis, nec in primâ, neque etiam in Regum Francorum familiâ secundâ, Regnum Electione fuisse delatum, adstruunt Vinc. Cabotius. 1. *disput. cap. 13.* Claude Fauchet. *d. orig. des dignitez. cap. 2.* Bodin. 6. *cap. 5.* contra Hotom. *Franco-Gall. cap. 6. Girard. lib. 3. fol. 200. in vita Merovei.*

DIS-

DISSERTATIO II.

DE CONTRACTIBVS ANTECESSORUM; ET ANNÉ Successores obstringant.

SI JURE hereditario Regnum defertur, id habet Successor à defuncto: & ita prædecessoris factum præstare, instarq; heredis omne æs alienum exsolvere tenetur. *Dd. ad c. licet. ext. d. voto & voti redempt.* Modo non id ipsi Regno nimis magnum inferat detrimentum: non enim Regnum, etiamsi hereditarium foret, pari jure cum Principis Patrimonio æstimatur: *Cabot. 2. cap. 12. vid. supr. lib. 1. diss. 2. num. 4.* ut tanquèm re suâ, eo ad lubitum abuti queat. 1.

Verùm si qui succedit, ab Antecessore non habeat causam, at Regnum ei tantùm obveniat ex Lege; & ita heres non hereditatis, sed sanguinis existat: pariter ferè ac is, qui in administratione, dignitate, Beneficio aut Feudo est Successor; haut patrimonialibus conventionibus obligatur: sed iis solummodò est obstrictus, ex naturâ & consuetudine officii Regii, quæ initæ fuerunt. Unde & ab ejusmodi saltem Creditoribus conveniri potest, qui pro Regni necessitate, & utilitate, pro illius scilicet defensione & incremento, aut in usus necessarios utilesque alios, pecuniam mutuo dedêre defuncto. *arg. cap. 1. extr. d. solution. Cabot. 1. cap. 14. Tiraquell. d. primog. quæst. 35. n. 19. Gail. 2. observ. 154. Decian. consil. 25. vol. 1. & 35. vol. 2. Greg. Tholos. 7. d. R. cap. 12. num. 1. Ant. Peregrin. d. Jure fisc. libr. 2. fol. m. 109.* 2.

Bona enim Primogenituræ subjecta, alienari non posse; omni probabili dubitatione carere videtur. Nam is qui constituit Primogenituram, ea omnia expressè voluisse, sanciviss- 3.

que

que censetur, quæ sunt propria & naturalia ipsius primogenituræ. Naturam autem Primogenituræ eam esse cuilibet apparet, ut bona ipsa integra, & sine aliquâ diminutione, gradatim de primogenito ad primogenitum transferantur. *Nic. Betsius. d. pact. famil. cap. 8. fol. 476. &c.*

4. Veruntamen semper in dubio præsumi debet, pecuniam in Regni usum esse conversam: & proinde etiam Regius ex Lege Successor, factum Principis antecedentis, Principali nomine peractum, ejus licet heres non existat; nihilominus (si non magnopere coronam lædat, aut contra Leges, vel Imperii foret Majestatem) ratum ut habeat convenire videtur. Quia id non generale solùm est in omnibus curatoribus, liberâ qui gaudent administratione: sed & aliàs, nemo cum Principibus contrahere, nemo illorum promissis & verbis fidem poterit habere; ac in simul Publica fides, dignitas honosque Principalis collaberetur. *Georg. Acat. Enenkelius illustris Hoheneccius Baro. 3. d. privileg. cap. 11.* Et turpitudinem habet, Feudales ac Legitimos Regnorum successores, creditores defraudare; cùm apud Spartanos & Persas, defuncto Rege alter qui succedebat, liberabat ære alieno eos, quicunq; aliquid, aut Regi, aut Reip. debebant. *Herodot. Erato.*

5. Ex quâvis item Electionis specie, ad Regnum admissus; non secus ac de successore Legitimo jam modo dixi, ex prædecessoris obligatur contractu; officii seu dignitatis si is celebratus fuerit ratione. Ita ut æs alienum, propter onera Principatui incumbentia contractum, etiam qui electus est, vel postulatus ad Regnum, solvere; contractumvé vel promissionem justam, aut æquitatem continentem observare teneatur indistinctè: nullâ habitâ consideratione, quibus verbis, sive quâ formâ illud debitum fuerit contractum. quamvis item à prædecessore suo, nil penitus hereditarii acquisiverit juris: vel etiamsi successor, antecessorem vi & armis pepulerit è Regno. *Schrader. tract.*

tr. Feud. part. 4. cap. 1. num. 20. Pruckman. §. sõluta potestas. 2. membri 4. cap. effect. 2. fol. 389. Unde cum Christiernus, Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ Rex, è Regnis suis exul, à Joach. Marchione Brandenburgensi, aliquot millia flor. Rhen. mutuo accepisset: nihilominus à Successore in Regno Friderico, dictam summam, unâ cum censibus ritè peti, Lud. Schraderus respondit, & multis probat argumentis. *cons. 9. 10. & 25.*

Aliàs quidem eum, qui Dignitatis solummodò, sceptri- 6.
que est capax Successor, Antecessorum pactis conventis, citra evidentem usum Regni, ejusdemque Senatus consensionem, de Feudo Imperii initis; salvâ Majestate suâ, minimè teneri, opinio fert multorum. *Dn. Collega D. Bocerus d. invest. Feud. cap. 3. num. 73.* Quâ de causâ Bohemiæ Regem, antecessoris sui Matthiæ investituram de caducitate successionis confirmare, non obligatum fuisse, respondit collegium Lipsiense *cons. quod extat apud Hartm. Pist. lib. 2. q. 20. n. 44.* Pariter ut is qui Ecclesiastico Magistratui, Præsul, in dignitate officiove succedit; prædecessoris sui Investitionem de caducidate successionis, adserere cogi non potest. *c. sciendum. §. si Dominus. tit. quib. mod. Feud. constit. c. un. de Clerico qui invest. cum simil.* Quippè cum nihil ab eo emolumenti, sed omnem potestatem suam à Capitulo consequatur: nec æquum sit Antistitem, cui rerum præsentium duntaxat administratio est commissa, futuris negotiis successorum præjudicare.

Verùm enimverò, duabus cautelis prospicere sibi posse à 7.
Clericis investitos, ut eorundem quoque Successores, ad Feudi concessionem, eveniente conditione ipsis obligentur, putarem. Nimirùm (1) si curaverit investitus, id cum Capituli consensu peragi: tum quippe, non secus ac illa, quæ Princeps cum consilio Ordinum sive der Landt Rhåt promittit, *Petr. Wesembec. consil. 2.* irrefragabile censetur. Vel (2) si in Feudi possessionem mittatur, eo qui Feudum detinet consen-

T tiente.

tiente. Quarum cautionum priorem, frustra impugnat Andr. Fachin. 7. *controv. cap. 28.* cum solidâ juris ratione nitatur. *l. 149. d. Reg. Jur. l. 13. §. 1. d. acquir. vel amitt. poss. arg. l. 10. ff. si quis omiss. causs. testam.* Alterius vero doctrina, παράδοξον immeritò videtur Henrico à Rosenthal. *cap. 6. conclus. 16. n. 11.* Siquidem ea jure Feudali disertè confirmetur. *c. un. vers. nisi ille. tit. qui succes. Feud. dare teneant.* Et tandem Regula illa, quæ successorem jure Electionis ad Imperii fastigium evectum, pactione Feudi ab antecessore factâ absolvit, ita est intelligenda; ne exinde qui fidem publicam sequuti, & de re publicâ benè meriti sunt, injuriâ adficiantur. Immensas tantùm donationes, sive potius profusiones Principales, à Successoribus convenit retractari. *Arn. Clapmar. 5. d. Arcan. cap. 13.*

Dissertatio III.

SUMMIS AN PRINCIPIBUS, EORUM ANTE excessum, futurus designari possit & debeat successor.

1. VETUS est hæc quæstio, & de quâ in utramque partem differunt multi. *Heigius part. 1. quæst. 6. Clapmar. lib. 2. cap. 21. & libr. 3. cap. 10. Bart. Musculus d. succes. anomala. membr. 1. conclus. 3. lit. P. fol. 47.* Et quidem si filius adsit Regni heres, nihil in dubio positum esse videtur. *Keckerm. polit. 1. cap. 4. fol. 116.* Sicque contra morem apud Persas receptum, Artaxerxes filium Darium per indulgentiam vivus constituit heredem: nihil sibi, ut Justinus *lib. 10.* scribit, existimans ablatum, quod in filium contuliſſet: sinceriusque gaudium ex procreatione se capturum, si insignia suæ Majestatis, vivus in

Filio

Filio conspexisset. Et Ptolomæus à quibusdam reprehensus, quòd Ægypti Regnum vivus filio tradidisset : nihil dulcius esse respondit, quam Regis patrem esse. Magnum Regis fulcrum est, Filios non timere: *Plutarch. in Demetr.* Ac Barbarus est mos Turcarum, filios Principis in certo loco aut oppido claudere, nec finibus iis egredi, nisi permissu aut jussu patris. *Lipsi. mon. polit. lib. 2. cap. 5. exempl. violentiæ* 8. Plenum prudentiæ fuit consilium Hugonis Capeti, qui Palatii Magistrorum, Regiæ nimis finitimam sustulit auctoritatem; & Filium Robertum Vicarium constituit generalem, Regemque consecrari & diademate voluit insigniri. *Jeh. de Serres. 1. fol. 253. Girard 1. de l' Estat fol. 110.*

Et adhuc, quò certior in Franco-Galliâ constitueretur 2.
Regni successor, Primogenitus, vel proximior è Regiâ stirpe, vivente adhuc Rege, donatur titulo heredis Regni, vel Regiæ Coronæ. Primogenitus etiam ibi habet Delphinatum Viennensem. *Vinc. Lupanus. d. Magistr. Franc. lib. 1. tit. Delphinus. Claude Fauchet. tract. d. orig. des dignit. cap. 6. du Bellay. fol. m. 306. Girard. libr. 8. fol. 675. & libr. 15. fol. 206.* Ab Hispanis, qui mortuo parente Regnum sunt adepturi, Principes indigitantur. Filii Imperatorum Græcorum, Despotæ appellabantur. In Angliâ primogenitus donatus olim erat Nortmanniæ; nunc Walliæ Principatu. *vid. Pol. Verg. in hist. Angl. lib. 20. in Vita Richard. 2. fol. 411. Girard. 1. de l' Estat. fol. 113.* In Cypro Principatu Galileæ: in Tuneto Constantinæ Regno: in Scotiâ, titulo Principis Scotorum, & Cumbriæ præfecturâ. Burgundiæ Ducis filius natu major, Flandriæ nascitur Comes. Quæ omnia velut auguria sunt, proximè obventuri Regni : & propiores heredes, ne ante dies in annos Regis inquirant, satietate explere posse creduntur.

Communis etiam theorica est nostrorum Doctorum, 3.
Primogenituram in Filio Regis, primam esse dignitatem post

Regem: & Primò natum, in tantum radiis paternæ & futuræ coruscare dignitatis; ut eũ vel vivo Patre, nomine dignitatis paternæ, Regem, Ducem, aut Comitem, nominare queamus. Jus item hoc actualiter competere, & proprium esse Primogenito ipsi, etiamdum patre vivente; quantùm nempè ad ipsum jus in se, non quantum ad omnem ejus effectum. *Molinæ. ad consu. Paris. §. 13. gl. 3. q. 1. & 2. Chassan. in Catal. glor. Mundi. part. 5. consid. 41. latè Joh. de terra Rubea, tr. de jure legit. succeß. in hered. Regni Gall. per discursum. Jac. Concenat. 2. quæst. cap. 10. numer. 12. & adde Pinel. l. 1. de bon. matern. part. 3. numer. 78.* Quin in Franciâ, omnes ex Regio sanguine qui Principes existunt; præ aliis privilegia habent quàm multa: quæ recenset Girard. *lib. 3. de l' Estat. fol. 337. &c.* Ii Patricios omnes (les Pairs) natalium prærogativâ præcedunt: quoniam dignitatis, atque adeò personæ Regiæ, quæ cunctas alias exuperat, pars ipsi quodammodo censentur. Inter se verò, iidem hunc ordinem servant; ut tantùm succedendi in Regnum jus servetur; nullâ præterea publici muneris, aut alius tituli habitâ ratione. *Thuan. lib. 27. fol. 547.*

4. Principum Filios heredesque, eorum subditos esse, Politici asseverant; & in eos Patrem Principem, Jurisdictionem suam exercere posse, ut in quemuis alium sibi subjectum. *c. venerabilem. ex. qui fil. sint legit. ubi DD.* Immediatorum autem Imperii Romani Statutum liberos, Imperio & paternâ jurisdictione, propter ordinis parem dignitatem esse exemptos, Dn. Betsius censet. *cap. 8. fol. 435.* De quo forsan, cum parilis in actu haut dignitas adsit, dubitare quispiam posset.

5. Sin verò successor ratione juris incertus, aut Electivũ si Regnum foret; dubitationem nostra quæst. principal. habet multò majorem. Et pro affirmante sententiâ dici posset: licere, imò oportere eventibus prospici tristibus; successorũ ob incertitudinem metuendis: *Adam. Keller. 3. de offic. Juridico pol. 2. f. 638. Franc.*

Fr. Patricius. d. Regno lib. 9. c. 22. sine certo ne Regni herede, publicas ad se vires quisque trahat. Augustum, filium, Imperii Collegam, consortem Tribunitiæ potestatis, Tiberium adsumpsisse, omnemque per exercitum ostentasse. *Tacit. 1. annal.* Sapienter fecisse Adrianum, qui non modo Antoninum adoptavit Pium; sed & simul effecit, ut Pius Philosophum, Principum decus adrogaret. Quod & anteà factum fuit ab Augusto, qui non priùs Tyberium voluit adoptare, quàm is Germanicum adoptasset. *Sueton. Tyber.* Ex tali designatione, invaluisse olim Cæsarum appellationem; vivis qui Principibus designati erant Impp. Sæpiùs etiam Imperii Romani Electoribus convocatis, Imperantes quempiam se præsente pro Rege Germaniæ, eligi curâsse. Magnum Alexandrum qui hoc neglexit, Ludos cruentos suo funeri adparâsse. *Plut. in apophth. Alex. ad fin.* Nuper defunctum Cliviæ Ducem, civibus suis meliùs hâc ratione consulere potuisse. Carolum Burgundiæ Ducem, in aliis nimis audacem, dum Filiæ maritum, & Principatui heredem in tempore nominare timeret, se suosque perdidisse. *quod notat alicubi Cominæus.* Henricum ultimum Lusitaniæ Regem, sæpè ab Ordinibus Regni, de Successore nominando interpellatum; in pœnam Lusitanorum id distulisse. è contrà debuisse Henricum, de sententiâ fidorum & peritorum nonnullorum Doctorum decidere Regiam illam litem, & pro ratione personæ, ad quam hereditatem pertinere intellexisset; conventiones & transactiones ita instituere, ut Regni libertati quam maxumè consuleretur. *vid. Conestag. lib. 3. fol. 120. 133. 136. & 148.* Elisabetham Angliæ Heroinam; quòd noluit quenquàm se spirante viventeque, cernere successorem, ac sibi brevi morituræ fossam aperiri; singulari hoc fecisse de causâ: ne ut mulier contemneretur. Sciviſſe Insulam toto orbe divisam, non facilè ab exteris turbari, & Jacobo Scotorum Regi, Inibi neminem resistere posse,

6. Vicissim Trajanus Optimus Princeps, sine Successore maluit mori. *Spart. Adrian.* Bonifacius 2. Pontifex Romanus, convocatâ Synodo decrevit; quòd liceat Pontifici vivo, successorem ordinare. Et statim Vigilium suum Diaconum elegit, qui sibi si moreretur Successor esset. Paulò pòst, cùm eum facti pœniteret, quòd alteri habenas commisisset, iterum convocatâ Synodo, liberè est fassus; se contra dignitatem Apostolicæ sedis, & contra Canones egisse. *Joh. Wolff. lect. memor. tom.* 1. *fol.* 161. Tyberium quoque formidasse, Tacitus scribit. 1. *annal.* ne Germanicus, in cujus manu tot Legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud Populum favor; habere quàm exspectare Imperium mallet. Cum apud Davidem Episcopum Ultrajectinum, de Coadjutore sibi dando mentio facta esset; non hoc se levamen laborũ desiderare respondit: vereri enim, ne idem sibi, quod Sancto Antonio accidit, eveniret; qui auctoritatem amisit, ex quo Rochus in numerum Sanctorum fuerat receptus. *Guil. Paradin. hist. de Bourgongn. f.* 837.

7. Bodinus 6. *de Rep. cap.* 5. distinctione rem enodare conatur: Successor si non renuntietur, Regnanti tutiùs caveri, Populo non caveri, ait. Ego in casu controversæ Successionis, de herede certo, citò prospiciendum: In Electivo verò Regno, tam Principi quàm Ordinibus, summam hîc cautionem adhibendam esse autumarem. His quidem, hâc ne occasione, jus amittant suffragiorum. Hosce etenim honores, qui velut Symbolum sunt certæ successionis, fraude manifestâ adversus veterem Comitiorum rationem adinventos esse, scribit Buchanan. 6. *rer. Scotic.* & qui propè omnem vim liberorum tollerent suffragiorum. Principi providere incumbit, ne ipsum aliquando tædeat, intempestivæ hujus Electionis. Prudentes quòd rerum æstimatores pro re natâ dijudicabunt.

8. Enimverò ex solâ Designatione, administratio rerum Regni, commissa non videtur. *Lud. Molina d. primog. Hisp.* 3. *c.* 6 *num.* 22.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [152] - 146

num. 22. Rem namque & spem habere, nemo non differre videt. Apud Romanos L. Aelius Verus, ab Adriano adoptatus, primò Cæsar est dictus: & Cæsares erant quasi quidam Principum filii, & designati Augustæ Majestatis heredes. *Spartian. in vita Veri.* De eorumque privilegiis Imperioque, ita ad Cl. Albinum, Imp. Commodus scribit. Tibi do facultatem, ut, si necessitas fuerit ad Milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Habebis cum id feceris, dandi stipendii usque ad tres aureos liberam potestatem. quin & super hoc ad procuratores meos literas misi; & quum opus fuerit Rationalibus dabis, ne te non audiant, quum de Ærario volueris imperare. Sanè ut tibi insigne aliquod Imperialis Majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præsente: habiturus & purpuram, sed sine auro. *Capitol. Albin.* Notandum a. est, aliud esse, Augustum habere consortem; quod ad Aristocraticam Imperii accedere formam alibi dicam: aliud Cæsarem seu futuri Imperii designatum esse heredem. Diocletianus enim, quùm molem Imperii animadverteret graviorem, quàm ut unus, universæ par esse posset; Maximianum creavit Augustum. amboque duos sibi Cæsares, Galerium cognomine Armentarium, & Constantium, Constantini Magni patrem dixêre. *Joh. Bapt. Egnatius.*

Principibus, qui destinati tantùm sunt Principatus successioni, vivente prædecessore cum primis est cavendum, ne illi nimis se faciant æquales; eodemque cum eo gradu, loco, tempore, applausu & obsequio, publicè privatimque coli & observari se patiantur: sed honore temperato, comitatu mediocri, & modestâ gravitate sint contenti *Ioh. Bapt. Lenccius observ. polit. 69.* Ne cum Germanici filiis, incautâ Imperii usurpatione se se evertant. *Tacit. 4. Annal.* 9.

Licet Feudistæ, Regem nominent pro Imperatore; *Rosenth. d. Feud. c. 5. concluſ. 1. lit. c. Hotom. in Lexic. Feud. verb. Rex.* 10.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [153] - 147

Rex. hodiè tamen Rex Romanorum vocatur, qui mortuo Imperatore, sine ulla Electione succedit. *Aur. Bulla, t. 4.* Estq; is perpetuus Romani Imperii Vicarius, à Lege, hoc est, Electione & consensu omnium Statuum Imperii, ordinatus. qui ideò, Imperator si absit, non solùm nomine Cæsareæ Majestatis: sed & proprio motu, aliquid constituere potest. *Barth. Musculus. d. succes. anomal. fol. 49. num. 98. Thom. Michaël. disp. d. Jurisd. θ. 29.* Non tamen propriè eum Majestatem habere censerem. Majestas enim perpetua est potestas: non autem verè perpetuũ potest dici, quod Vicarium existit. cessat quippe præsente eo, cujus partes geruntur. Unde Regis Romani potestatem, ad Imperatoris reservata, absque speciali mandato non extendi, rectè dicit Felin. *in c. quæ Ecclesiarum. sub num. 32. ext. d. Constitut.* Quamvis aliàs præeminentia illa, ratione futuræ & speratæ qualitatis in isto Rege, hoc præcipuum habere putetur; ut non secus atque ipse Imperator honore affici mereatur. *vid. Matth. Steph. d. Iurisd. 2. part. 1. c. 2. n. 44. & multis seqq.* **Schönborner.** *5. polit. c. 19.*

11. Invito Regi viventi, nullo modo successorem constitui posse putarem. *Buxtorff. θ. 12. ad fin.* Hinc posteaquàm Valentinianus Imperii insignia accepit, & Milites clamarent, ut alterum sibi velut Imperii socium adjungere velit: Me, inquit, ad Imperandum deligere, ô Milites, penes vos erat: sed cum jam à vobis sim electus, consortem Imperii, quem sumere postulatis, non in vestrâ, sed in meâ solius situm est potestate. Quin etiam vos, qui meo jam Imperio subjecti estis, conquiescere: me autem, utpote Imperatorem, quid agendum sit considerare decet. *Sozomen. hist. Eccles. lib. 6. c. 6.*

12. Sed anné invitis Civibus, in Optivo Regno, successorem nominare potis est Princeps? Hîc commodè inter Regnum quod Electione, & illud quod Successione defertur, præcipua quæ est differentia, explicari potest. quæ in eo consistit, quòd sem-

semper mortuo Rege, liberũ est Populo, vel iis, suffragii qui jus habent, quam velint Reip. instituere formam. *Arnisæ. 2. pol. c. 3. f. 457.* In Imperio autem Successivo, Majestatis contrahit crimen, manente qui Regiâ stirpe, de mutando Reip. cogitat statu. *Cabot. 1. disp. cap. 14. ad fin.* Tanta namque vis est jurisjurandi, Legisvé illius fundamentalis, quâ primùm jugis successio Regni, uni alicui familiæ fuit delata; ut successorem agnoscere pro Rege, non voluntatis sed necessitatis existat. Et ita Romæ, Patres Romulo Rege defuncto (utpote Electorio in Regno) advocatâ Rep. dispicere jusserunt: sive Regibus sive Magistratibus mallent annuis, concedere ejus curam. quod & defuncto Numâ & Tullio Hostilio, Ancoque Martio factum. *Liv. 1. Dion. Halicar. lib. 2.* Legitimi verò in Regno successores, sæpiùs pro jure suo tutando, justa & felici successu bella susscepêre. *vid. supra lib. 1. diss. 2. num. 14.*

Verum in Legitimo Regno, emortuâ demum stirpe Regali: 13.
aut in hereditario Regno, si sine herede decesserit Princeps; libera est Comitiorum Regni potestas, quem velint sibi Regem optandi: aut quoq; possunt, eis si fuerit visum, Reip. formam immutare. *Cabot. 1. disp. cap. 14. ad fin. & cap. 16.* Haut secus ac Feudum apertum, ad Dominum liberè redit, utileque cum directo dominio consolidatur: *Rosenth. cap. 7. conclus. 24.* frustrà disquirentibus Feudistis, an & quando Beneficium, tempore vel generatione finitum, proxumis concedi, seu ut loquuntur, reinfeudari debeat Agnatis. Adeò ut nec eo in Regno, in quo Fœminæ ab Imperii successione perpetuò excluduntur, masculis omnibus extinctis; Fœminæ, aut etiam ex Fœminis mares, ad Regni successionem exjuris necessitate sint admittendi. *Cabot. 1. cap. 16. ad fin.* Quia nempè ab initio Principi, masculisque heredibus; & ita conditionaliter, ii donec supererint, data est potestas: ac ea proinde ad Populum revertitur conditione cessante.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [155] - 149

14. Ubi autem subditi, Regnum primis Regibus haut contulerunt (puta si Imperium sit Feudale vel subalternum) nullus potest existere casus, facultatem quo Regis vel nominandi vel eligendi, sibi arrogare jure possint: sed redit ad eum, à quo primùm pervenit. quod contra Lusitanorum actionem, post obitum ultimi eorum Regis, fuit replicatum. *Conestag 3 fol. 154. 175. & 191.* Sicque cum Johanna, quæ ab impudicitiâ Lupa cognominabatur, Ludovico Andium Duci, Caroli Gall. R. fratri, Regnum Neapoleos adoptionis nomine relinquere vellet; factum fuit id Pontificis tanquàm Domini Feudi permissione. *Angel. & Fulgos. ad l. si suspecta. §. fin. d. inoff. test.* In Austriacis Privilegiis, ex familiâ ultimo; Adoptatio, Testamentivé factio expressè est largita. *vid. privil. Austriaca apud Goldast. & Munsterum.* Inclytus Wirtembergicus Ducatus, si (quod DEUS ut avertat precamur) absque herede esset; non ab Imperatore alteri dari posset in feudum, sed perpetim libera Imperii provincia, ex singulari privilegio esset mansura.

15. Hactenus dictorum, consequens esse videtur: ultimum de familiâ in quam Imperium est translatum, non posse successorem extra Comitia, sineque Populi consensu nominare. *Cabot. 1. cap. 14.* Ut & in Regno, suffragia populi ubi valent, infirma est Designatio à Principe facta, nisi Populi vel Electorum accesserit voluntas. Quâ de causâ, Anno 1530. Saxoniæ Elector, aliique confœderati Status, Electionem Ferdinandi impugnarunt. *Buxtorff. th. 12. à pr.* Pontificem tamen, ut & Principem quemlibet electum, statuere posse super formâ & Electione (non super persona) sui Successoris, volunt Canonistæ. *M. Steph. 3. d. jurisd. part. 1. c. 2. n. 10. & seq.*

16. Nonnunquàm verò tam magna est auctoritas Regis Electi, ut ultrò approbetur, vel nemo audeat recusare, quem is Testamento, Adoptione, vel aliter designavit Successorem. *vid. Cabot. cap. 8. per discursum. P. Gregor. 7. d. Rep. cap. 12.* Ac ita

Octa-

Octavium Julius Cæsar, liberis orbus, nominis, fortunarum, Regnique heredem constituisse, auctor est Dion. *lib. 45. hist. Rom.* Sub Tyberio, & Cajo, & Claudio, unius familiæ quasi hereditas fuimus; ait apud Tacitum Galba. *hist.* 1. Ipse Pisonem, testamento semper in bona & nomen adscitum, repentè mediâ salutantium turbâ apprehendit, filiumque appellavit, & pro concione adoptavit. *Sueton. in Galba.* Imperium nomine dotis cum Faustinâ uxore, M. Antoninum habuisse, Capitolinus refert. Tacitus Imp. in Senatu, cum eligeretur, adjuratus est, ut cum mori cæpisset; non Liberos suos, sed optimum aliquem faceret Principem. *Vopisc. in Floriano.* Constantinus Magnus, Orbem Romanum, heredibus non solum Testamento reliquit, sed & divisit. *adde orat. Ulp. Criniti apud Vopisc. in Aurel. & Bodin. 1. cap. 4. nu. 29. & seq.* Sed ejusmodi Adoptiones, plerunque confirmatæ fuerunt à Senatu. Et ita non satis fuit Octavium testamento Cæsaris adoptari, sed robur accepit ea adoptio Lege Curiatâ. *Cujac. 7. observ. 7.*

Dissertatio IV.

De Interregno, et Regia Tutela: ac iis qui absente vel ægrotante Principe, Remp. administrant.

Principatus Electivus Interregnum, Successorius Tutelam habet: in utroque absentia, Furor, vel similis aliquis defectus, Regentem vel Vicarium deposcit. 1.

Interregnum, quo brevius, eò melius existit. Prudenter Livia egit, quòd Augusto exspirante, acribus custodiis domum & vias sepsit; lætosque interdum nuntios vulgabat, donec pro

visis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit. *Tacit.* 1. *annal.* Hâc eâdem de causâ festinatum est, ab Alexandro Severo Augusti nomine recepto, ut is omnia simul acciperet, quasi verus Imperator. *Lamprid. Alex.* Et ita Solimano Turcarum Imp. in ipsa Zygeti obsidione, cum totus jam in sanguine esse videretur, sanguinis profluvio extincto; Mahometus Bassus, quòd in occultatione hujusce mortis, consistere salutem rerum omnium præsentium appareret: cum solus conscius mortis Medicus esset, ingentes pœnas ejus scientiæ dedit, docuitque secretas res Principum scire, quàm sit devitandum. Nam Mahometus, veritus ne Medicus hic rem propalaret, illum è tentorio vocari, & in suo conspectu jugulari imperavit. Et quoniam tumultus ferè excitabatur in castris, quia Imp. per multos dies, à nemine visus fuisset: Mahometus, re cum quibusdam spectatæ fidei proceribus communicatâ, Solimannum balsamo perunctum, induit usitato more, atque collocat in sublimi throno, in loco intra tentorium adumbrato; quem spectandum è longinquo, cum maxumâ reverentiâ proponit. Ipse significationes nonnullas reverentiæ, præsentibus omnibus, & obsequia edidit, tanquàm cum illo loqueretur. cumque nemo propius accedere, propter nimiam observantiam, ausus esset; sine fuco & fallaciis credita res fuit. *Natal. Comes hist. lib. 17. Leunclav. in Annal. Turc. sub A. 66.*

2. Ne autem Anarchia in Remp. irrepat, Interregnum (id est Imperii aliqua forma) dum post bonum Principem, quæritur alius bonus, est ineundum. Jàm primùm quum Interregnum constitutum post Romulum fuit, facti sunt Interreges: totusque ille Annus, per quinos & quaternos dies, sive ternos, centum Senatoribus est deputatus: ita ut qui valerent, Interreges essent, singuli duntaxat. Sic & interfecto per fraudem Aureliano, sub judicio Senatus & Militum Populique Ro-

Romani, per Sex Menses, totus orbis est temperatus. *Vopisc. Tacito.*

Curatores autem, qui interea quoad de Imperii Majestate decernatur, Reipublicæ dantur; aut cum Magistratus per se se sine curatore Rempublicam moderantur; haut jure Majestatis, sed procuratorio nomine regnant. Est enim Imperii Majestas penes Ordines, vel Populum universum. *Bodin. 4. de Rep. c. 1. n. 368. & seq.* nec quippe illa potestas, quod est de essentiâ Majestatis, perpetua existit. Unde ad reservata Principis manum admovere nequit: cum illa haut veniant in generali concessione, sed specialem expressionem requirant. Et proinde ea tantùm quæ Justitiæ & necessitatis, non etiam ea quæ meræ gratiæ sunt, absque speciali concessione facere possunt ejusmodi Curatores. *Buxtorfi. θ. 72. & 73.* 3.

In Regno subalterno, ad superiorem Imperium redit. Unde deducunt Canonistæ, quod Imperio vacante, Pontifex possit Jurisdictionem omnem exercere; non aliter atque quilibet Princeps, post decessum illius cui demandaverat Jurisdictionem: quandoquidem Imperator (ut prætendunt) Imperium quod habet, non tam proprio jure, quàm quasi à Papa delegatum, habere intelligatur. Sed indubitanter, ait Vasquius, *illustr. c. 22.* apparere: veriorem esse opinionem negativam. quia Papa nec habet, nec habuit unquàm totius Mundi in temporalibus Jurisdictionem. nec Imperator aut reliqui Principes seculares, ab eo quasi demandatum Jurisdictionem; sed jure eam proprio habent, solâ ex Populi concessione: penes quem & non penes Papam, Jurisdictio remanet, tam Imperii, quàm cujusque alterius Regni vacantis. quæ verba sunt Vasquii ipsa. *& v. supr. lib. 2. diss. 2. n. 14. & seq.* 4.

In Romano verò Germanico Regno, vacante sede, non ad totum Collegium Electorale, sed ad Principes Electores, Comitem nempe Palatinum Rheni (ratione Palatinatus, Als dem 5.

Obristen Richter des Reichs/vnd Hauß Major: non Bavariæ Ducatus respectu (ut contra Gewoldum asseruit M. Freherus) & Ducem item Saxoniæ spectat. *Buxtorff. θ. 55. Anton. Gothofred. disp. feud. 8. θ. 4. h. & disp. 14. θ. 1. b.* Quòd autem præ aliis hi duo Palatini, Rhenensis & Saxonicus (qui & ipse Palatini titulo ab antiquo gaudebat) Imperii totius vicariam administrationem, divisis inter se limitibus meruerunt; id non sine ratione est factum. Cum enim Teutonicum Regnum, duplici jure regeretur, Francico & Saxonico (hinc **der Sachsen vnd Schwabenspiegel** existunt) conveniens visum fuit, ut duo illi Palatini, ceu proximi à Cæsare, eo mortuo, vice sacrâ, Regnum Teutoniæ (quod καθ' ἐξοχὴν Imperium solet vocari) gubernarent. *Freher. ad Petr. de Andl. c. 10. lib. 2. & adi ejusd. Orig. Palatin. part. 1. cap. 15. & 16. Auct. Parthenii Litigiosi, 2. cap. 5. num. 16. & de hisce Vicariis, multa notatu omninò digna, illustri industriâ collegit Buxtorffius θ. 52. & seqq.* Hi autem Vicarii temporales, ab hereditariis & Perpetuis; quales nunc sunt Sabaudiæ & Pedemontii Duces, ac Italiæ Principes nonnulli; multis differunt modis. *vid. Buxtorff. θ. 53. & Nic. Betsium cap. 7. folio 224.*

6. Porrò itidem Curatoribus Tutoribusque Resp. tùm dicitur indigere, si annis minor sit Princeps. Si verò quicquàm est in politica administratione, quod diligentem sedulamque curam mereatur; certè Tutela & Cura, Regiorum & illustrium pupillorum, potissimum hâc in parte sibi vendicat locum. non tantùm ut ipsis adversus ambitionem & injuriam aliorum, jura sua sarta tectaque conserventur; sed etiam ut odia & æmulationes, quæ inter agnatos ob hujusmodi Curatelas sæpè nasci solent, cum extremo subditorum damno, pernicieque, legitimis repagulis, & Ordinum auctoritate, tanquàm freno quodam coërceantur. *Betsius. c. 7. à pr. f. 201.*

Non

Non sine ratione Papinianus, Tutelam rem esse dixit minus tutam, incertam, fallacem, fragilem, & periculosam; *l. in fideicommiss. §. nonnunquàm. in fin. d. Usur.* Plerunque enim Tutores, non satis suo nomini respondent. Et ideo Tutores, hodiè non dici Tuitores, inquit Albericus, *in l. 1. ff. d. tutelis.* sed Tollitores, ab effectu. *vid. Paul. Montan. tr. d. Tutel. c. 4. à pr.* Quoquè Maxæmilianus Imperator, Gerhaben (quâ voce Austriaci nominant Tutores) festivè Gernhaber, vocare solebat. *vid. Matth. Wehner. tr. de verb. signif. verb.* Gerhaber. *fol. 166.* Et sanè spoliationes, ac mala, imò furta Tutorum, non solùm patiuntur mediocris fortunæ homines; sed aliquando etiam Principes Viri. *Bodin. 6. c. 4. num. 709. Arnisæ. 9. pol. fol. 211.* Et inter cæteros id contigit filiis & heredibus Theodosii Magni, vix dum puberibus, Honorio videlicet & Arcadio. Nam qui iis à patre erant dati Tutores, Rufinus Britanus, & Stilico Vandalus, perfidiosi proditores, atque adeo prædones fuerunt. *Carol. Sigon. lib. 1. d. Imp. Occid. Molinæ. d. Monarch. Francor. num. 14. & seq.* In Anglia olim, Patruus occidit Nepotem pupillum, verum Regni heredem. *du Bellay. 1. fol. 16.* Eudes Patruus Hugonis Capeti, Caroli simplicis Curator, in suam similiam transtulit Regnum. *Girard. lib. 5. fol. 467.* Albertus I. Imp. fratris filio, suoque Pupillo Johanni, avita tradere recusans bona, ex insidiis fuit occisus: Stumpff / in der Schweitzer Chronic. *lib. 7 f. 214. b.* 7.

Ergò Lipsius, *monit. polit. 1. cap. 4.* Matrem hîc admoveri, & vices pueri gerere, cum prudenti aliquo Senatu, è re esse putat. Cùm proceres Regni eligi, sit anceps: & unus si sumatur, cæteri offendantur ut spreti. & hic forsan proprias cogitet opes. Si plures, vix evadere contingat factiones & turbas. In Asiâ receptum fuisse à Semiramidis tempore, ut uxores Regum, post eorum mortem regnarent; scribit Arrian. *de exped. Alex. lib. 1.* Nõ porrò eâ Lege, quâ Fœminæ excludũtur è Regni Suc- 8.

Successione, eæ etiam remotæ censentur à Regimine, Regnique procuratione, & Filiorum adhuc dum minorennium tutelâ. cum alia sit Regni Successionis, alia ratio procurationis. *ut disputat contra Hotoman. in Franco-Gall. cap. 26. Vinc. Cabotius. 1. disp. c. 18. Pasquier. 2. des Recherch. cap. ult.* Sicque Henrici 4. Imperatoris adhuc pueri Imperium, administravit mater. *Alb. Stadens. sub An. 1056. & 1057.* Et inde adhuc magis, tutelam Filii, & administrationem habebit Pater in Regno Filii materno.

9. Attamen haud rarò tutela non tuta fuit, in Galliis præsertim, Fœminis quæ fuit data. Nota sunt in historiis Gallicanis Imperia Fredegondæ, Brunhildis. Mater Ludovici Regis Franco-Gallorum, Sancti cognominati, vices Filii egit, non sine vicissitudine turbarum. notiora sunt facinora, quàm ut debeãt commemorari, Catharinæ Mediceæ. Idcircò Agnati proximiores, aliis magis arridենt. Et ita Concilium Constantiense, An. 1417. Johanni Burgundiæ Duci, gestionem Tutelæ in Regno Gallicano adjudicavit. *Guil. Paradin. annal. de Bourgongn. lib. 3. f. 615.* Ac in Galliâ semper Regis minoris tutelam, proximo Agnato deberi, attestatur Froissart. *tom. 1. c. 22. addatur Tillet, au recueil des Rois de Fr. fol. 275. & in annot. fol. 120. Girard. tract. de l' Estat. f. 228. 238. 365. 447.* Hamiltonius comes, apud Angliæ Reginam Elisabetham affirmavit; omnium penè gentium moribus ac legibus, & potissimùm patriæ instituto (Regni Scotiæ) locum sibi Tutoris (tanquam proximo agnato) Regis adhuc infantis deberi. *Thuan. lib. 40. ad fin.*

10. In Electorali Romano-Germanici Imperii dignitate, haud alii, quàm soli proximiori agnato, tutela & administratio adscribi; inibique à Successione submotus, à tutela quoque necessariâ consequentiâ submoveri putatur. Et hoc ideò jus, agnato proximiori, per Testamentum aufferri non posse, communiter dicunt. cum voluntas Testatoris, servanda sit in his, quæ

quæ ex ipsius testatoris veniunt dispositione, absque juris necessitate. *Dn. D. Harppr. Disputat. Instit. 7. θ. 8. part. 1. Andr. Knichen. de Sax. non prov. jur. ad verb. Electorum. cap. 4. per tot. Phil. Hænon. Disput. ad Instit. 3. θ. 6. Arnold.* **Engelbrecht/** *Disput. d. Jurisdictione. θ. 141. lit. d. Anton. Coler. Disput. d. Jure Imper. Roman. θ. 56.* Et constat **auß den Politischen Reichshandlungen** Melch. Goldasti, *fol. 29.* eodem hoc modo Auream Bullam, jam ante multos annos intellectam fuisse. Ac sunt certè qui putant, nec Contutores dare licere: hæcque omnia locum pariter habere, in Territoriis & Possessionibus, quæ obveniunt Electoralis dignitatis heredi; nec tamen eidem Dignitati sunt adnexa. Vicissim Tutorum Testamentariam dationem, indifferenter admittunt nonnulli. *v. Valent. Arithmæum, amicum meum, pericul. secund. Disput. 4. in Corollar. Hacque de controversiâ consuli possunt, quæ in causâ Tutelæ & Administrationis Palatinatus, non it a pridem à Marq. Frehero, Dion. Gothofredo, J. Zeschlino & Zachar.* **Friedenreich** / *edita fuerunt contraria scripta.* Gerlacus Buxtorffius, *Dissert. ad Aur. Bull. thes. 86.* dubium hoc competenti Judici decidendum relinquit. Sed Nicol. Betsius, qui *cap. 7. fol. 241. & seqq.* in sententiam transit communiorem; ad scopum quàm proximè accedere videtur, quùm *fol. 237.* scribit: Considerandum esse præsentem Imperii Romani, & omnium ejus Principum Statum, qui nunc ob Religionis diversitatem, longè differat ab eo, qui tempore conditæ Aureæ Bullæ extabat, &c. Sanè olim Principes nostrates, Tutelas Electorales testamentarias, Legitimas excludere, vel cum iis concurrere posse voluerunt: Johan. Casimirus proximus illo tempore Electoralis Pupilli agnatus, & Heidelbergenses Jureconsulti, tum id negârunt. Nunc hoc affirmant iidem; magis, ut nonnulli suspicantur, propter Status, quàm propter juris rationes. Et itidem hîc notandum esse videtur, in nuperâ quæ eâ de quæstione acerrima disputatio fuit; statum controversiæ ita de-

scripsisse Heidelbergenses : Utrum Elector possit proximiori agnato, sub conditione, nihil in statu Electorali mutando, Tutelam Electoralem deferre. Deinde: Utrum Elector, proximiore agnato conditionem illam respuente, possit sub eâdem conditione, eligere remotiorem.

11 Aliàs Principes vel Reges, si qui liberam Tutorum vel Curatorum constituendorum habent facultatem, nunquàm non singulatim de iis quæ post mortem suam fieri velint, disponere debent. *Isai.* 38. *ubi Luc. Osiand. & adde alios quos Freher. tract. de Tut. Elect. ad fin. laudat.* Sic Antigonus, dubium prudentior an justior Macedonum Rex, cùm optimè quamdiu vixit, de filio suo Philippo, totoque Regno Macedoniæ meritus esset; utrique saluberrimo consilio, etiam jamjam moriturus providit: ut Polybius refert. quippe enim Testamentum reliquit, in quo omnibus injunxit, quid post suam mortem quisque facere, & cujus rei curam habere, regnante Filio, deberet. Idque eò, uti omnes ambitionis, ac discordiarum caussas, quæ in Aulis Principum novitiorum oriri solent, è medio ferret. Cùm ex iis quos secum habebat, alium Filio tutorem reliquisset, Militibus alium, hunc item Scribis, alium denique aliis officiis præfecisset. Commodo Imperatori, optimi Senatores, à patre prudentissimo, Tutores fuerunt dati. *Xiphilin.* Caracallæ Papinianus; Alexandri Tutor fuit Ulpianus. Hodie nonnulli Principes, testamento liberis suis dant Tutores, è Consiliariis fide & auctoritate primos. Sic Marchionibus Badensibus, Cancellarius nominatus fuit Testamento Tutor. *Compilator Præjudicior. Cameralium, verb. Tutor. folio* 347.

12 Non operam malam dare Principes liberis suis, vicinos, & etiam inimicos quandoq; qui cõstituunt Tutores, Pasquierius probat. *lib.* 5. *des Recherch.* 23. Auctoritas & Regiminis fasces, quòd ita penes eum sint, nocere qui nequit; quique viribus ad nocendum valent (Agnati nempè & proximi heredes)

des) auctoritate destituantur. Ac sic Ludovicus 12. Gall. Rex, tutelam Caroli V. gessit optimâ fide. *Bellay, 1. des memoir. fol. 4.* Franciscus 1. Scotiæ Regis. *ibid. fol. 38.* Etiam in Japponia ante aliquot annos, Rex Tharicossama, filii tutelam commisit Jeghiasum Quanto, à quo aliàs Filio maxumè timebat. *Pierr. Matthieu. hist. de la Paix. 1. fol. 171. & seq.*

Sed anné ordinandi unus aut plures? Alexander Imp. 13
Constantinopolitanus, cùm Nepoti suo tutores & Imperii administratores scripto ordinasset, Patriarcham Nicolaum, & alios plures; ii suo arbitratu res gerentes, multa contrà quàm oportuit, egerunt: neque inter sese consenserunt; aliis id quod alii statuerant abrogantibus rursùm. ut Imperium non unius, sed multorum esset. *Zonaras, annal. tom. 3. fol. 114.* De quibus omnibus, pro re natâ consultabunt rerum politicarum prudentes. *& videri potest Arnisæ. relect. polit. libr. 2. cap. 2. §. 4. num. 161. 167. & seq.*

In Regno subalterno, Tutores à Superiore vel dantur, aut 14
Testamento dati confirmantur. Sicque Populus Romanus, M. Lepidum, Ptolomæi Liberis tutorem misit in Ægyptum. & Tiberio imperante, Cotyis Thraciæ Regis filiis nondum adultis, Trebellienus Rufus datus fuit, qui Regnum interim tractaret. *Tacit. 2. annal.*

Verumenimverò, à Patre filiis Testamento tutorem da- 15
tum, tam in Feudalium, quàm Allodialium bonorum administratione, cæteris præferri; non habitâ ratione, quem Filius sine liberis decedens, successorem esset habiturus; in defectu Juris Feudistici contrariæ Sanctionis, post Schraderum Rosenthalius docet. *cap. 12. concluss. 10.* Idque ad Feuda etiam Illustrioris notæ, probè extendere eundem Schraderum, *sect. 19. num. 16.* experientia praxisque testatur. Et quoque Tutelæ, Matri vel Aviæ, Jure Civili delatæ administrationem; etiam ad bona Feudalia extendunt: exclusis Agnatis, vel ipso Domino Feudi. *Rosenth. d. concl. 10. n. 20. Mart. Beneckendorf. tr. d. Jure mulier. fol. 930.*

16 Sanè, quis nam Tutor Regii pupilli jure debeat esse, adeò quibusdam in incerto fuit; ut ad sortem hanc rem revocârint olim Dani. Knuto enim filius Erici admodum parvulus, patri in Regnum Daniæ cùm surrogatus esset, opus erat administrante Tutore. Verùm quoniam hujusce muneris advocationem præstare, plerisque vel invidiosum; vel arduum videbatur; sortitione virum placuit legi. Prudentissimi namque Danorum, in tam excellenti negotio, arbitrio delectu uti pertimescentes, alienæ Fortunæ, quàm suis sententiis permittere Electionis eventum maluerunt. *Alb. Kranz. Daniæ lib. 4. folio 79.*

17 Certè Statuum Regni, nonnullam hîc auctoritatem esse videtur. Unde in Galliâ statim Ordinum indicitur conventus, ubi de modo in Regni administratione servando, in medium consulatur; quando Rex adolescens in Regnum succedit. *Bernh. Girard. del' hist. de Franc. lib. 17. fol. 351.* Inibi enim pro Lege fundamentali reputatur, ut ob quatuor potissimùm causas, Ordines (*le trois Estats* vocant) congregentur: si nempè novæ sint contributiones Subditis imponendæ; si Bellum suscipiendum aut propulsandum; si Reformatio in Regno instituenda; si Tutores Pupillo Regi adjungendi. Quâ in re, si ita Salus exigat Regni, etiam à Regis ultimâ voluntate, recedere Ordinibus licitum esse ajunt. uti accidit post mortem Caroli V. Franciæ Regis. *Betsius. cap. 7. fol. 202. & videatur idem fol. 222.* Quin & Carolus VI. Anno 1407. Arresto Curiæ Panegyrico sancivit, ut ipso, ante ætatem legitimam Filiorum suorum, vitam ponente; Primogenitus nihilominùs, ex consilio à tribus Ordinibus Deputatorum ipse Imperaret: quod tum magis è publicâ re videbatur, quàm si Regius Pupillus in Tutelam aliorum perveniret. *Girard. lib. 19. fol. 553.* Ut & Hamiltonio Scoto, cùm Regiam tutelam ex genere proximus affectaret, Antagonistæ responderunt; Hamiltonium rem, non modò Legibus & veterum institutis repugnantem, sed & iniquis-

quissimam postulare: allatisque in contrarium exemplis, Regni gubernacula non ex cognatione propiori, sed magis idoneis, & à Conventu Ordinum publico delectis, semper fuisse delata, ostendebant. *Thuan. libr. 40. ad fin. videri etiam hâc de re potest, Fr. de Caldas, ad l. si Curatorem. verb. hunc contractum. n. ult. C. d. in integr. restit. minor.*

Tutorum item Regiorum, certis limitibus circumscri- 18
benda erit potestas: Ut quoque ipso jure, Tutor nec re, nec nomine Princeps est illius Provinciæ; sed Tutor, vel Curator, vel Administrator tantùm. *Dion. Gothofred. de Tutel. Elect. Testament. lib. 6. replic. cap. 4. fol. 287.* Et periculo res non caret, si quis se Principem & Dominum, non Tutorem appellet; aut Tutela, non ætate perfectâ minoris, sed vitâ tutelam gerentis finiatur. Quemadmodùm olim Fridericus Palatinus Elector, ejus nominis primus, Nepotem ex Fratre Philippum Electoratus heredem, adoptavit: gubernatorem Provinciæ tanquàm Dominus, & Electorem Imperii se dixit; cælibatumque perpetuum promisit, ne filio arrogato, uxorem ducens præjudicium crearet. hoc quidem genus adoptionis Pontifex Nicolaus V. confirmavit: sed recusavit Fridericus Imp. diu multùmque requisitus. *Aene. Sylvius, Europæ cap. 40.* quod magnas turbas in Palatinatu fecit. *vid. Trithem. de reb. gestis dicti Frider. fol. 7. & seqq.* Ludovico Balbo Galliæ Rege defuncto, contrà ac Regio testamento cavebatur, ab Ordinibus Ludovicus & Carlomannus Regis filii nothi, Tutores Posthumo dati; & etiam in signum muneris supremi, Regio Diademate ornati fuerunt. Quod itidem perturbationem rerum in Galliâ effecit quàm magnam. *Procedure perilleuse, qui ayant fait gouster la douceur du gouvernement souverain aux serviteurs; fraya le chemin à un horrible confusion*: ut prudenter scribit Jehan de Serres. *tom. 1. de l'Inventair. de l'hist. de France, fol. 279.*

Nostro in primis seculo, propter accerrimum & irrecon- 19

ciliabile dissidium Religionis ; Tutores cum hâc restrictione sunt ordinandi, ut in Religione statuque nihil immutent. *quod opportunè Betsius monet, cap. 7 fol. 253.* Et aliàs etiam, Legitimus, Testamentarius, aut Dativus Tutor Curatorve, qui Electorio pupillo, Principi, Comiti, vel Nobili impuberi, aut justam adhuc non habenti ætatem; à Lege, vel à defuncto, aut Ordinarii Magistratus, Cæsaris nimirùm vel Cameræ Imperialis accedente datur auctoritate; in territorio sui Pupilli reformandæ Religionis minimè pollet potestate. Cujus rei præjudicium habemus in Symphoremate supplicationum, *part. 1, tom. 1. fol. 209.* Ubi contra Casimirum Palatinatus Administratorem, qui (ut prætendebatur) non attentâ conventione provisioneque Antecessorum, solius sub Tutelæ prætextu, Religionis moliebatur mutationem ; ad implorationem Ordinum superioris Palatinatus, mandatum decretum, in quo ipsi illa innovatio (sed sine effectu) prohibita fuit.

20 Et tandem in Familiis Regiis, Illustribusque aliis, inter administrationem Provinciarum, aut Regnorum, pupilli que educationem, differentiam esse statuendam; multis exemplis Betsius evincit. *cap. 7. fol. 255. &c. & fol. 261.* Ita ut etiam eo in casu, quo qui prior est in Successione, similiter ex Legis necessitate debet esse Tutor; & tamen educatio alteri à Patre queat demandari.

21 Enimverò, propter incommoda quibus obnoxium est Regnum Tutelare; Lege singulari, sui juris, tutelæque efficiuntur Principes plerunque, aliis de plebeiâ fece maturiùs multò. Ab optimâ quòd indole, numerus iniquè exigatur annorum: & institutio accommoda Imperaturo; defectum facilè supplere queat ætatis. *Johan. de Terrâ Rubeâ, tractat. 1. artic. 3.* Utiliùs & consultiùs videtur Paul. Montano, *tractat. de Jur. tutel. cap. 37.* quòd Tutela finiatur pubertate: ita ut non sit dandus Principi Curator sive Regens, aut alius quocunque nomine, loco Regis administrator ; sive unus, sive plures.

Quam-

Quamvis nonnulli scribant; Regis, vel Principis filio jam puberi, Curatorem etiam invito dari. Post alios quos laudat Dn. Collega Harpprecht. *Disput. ad Instit. 8. th. 9. vid. Fr. de Caldas, adl. si Curatorem. verb. hunc contractum. nu 46. C. d. in integr. restit. minor. Val. Arithmæum pericul. 1. Disputat. 2. th. 10. adde Thuanum libr. 23. fol. mihi 470. col. 2.* Sed qui id negant, haut ita sunt intelligendi; ac si solus debeat & ex proprio motu, gerere rem: sed per se & nomine suo, cum consilio directioneque Prudentum delectorum, &c. Ita in Galliis, Caroli V. pragmaticâ sanctione, ætas Regia, anno decimo quarto definita: *Pasquier. 2. des Recherch. cap. ultim. Froissart. 2. cap. 58. Girard. tom. 2. fol. 318. Betsius. cap. 7. fol. 204.* eaque Constitutio, Anno 1563. ex consilio Hospitalii renovata fuit. *Thuan. libr. 34. fol. 701. Histoire de France soubs Francois 2. fol. 365. &c.* Minùs enim mali timent nonnulli ex Imperio puerili, quàm ex contentiosâ, & indiligenti Tutorum administratione.

Electorius item adulescens, decimo & octavo anno completo, & sic septennio citiùs quàm jure civili Romano; non tantùm dignitatem, titulumque & locum Electoris, sed & reipsâ vocem & suffragium Comitiale, pleno nanciscitur jure. Ita ut is qui ante eum diem, Tutoris curæ, consilioque concreditus erat; jam tunc, pro communi, non tantùm Provinciæ suæ, sed etiam pro Reipublicæ, totiùsque Imperii salute & incolumitate incipiat vigilare. *Aur. Bulla Carol. 4. capit. 7. Bulla Sigismund. Imper. de Anno 1434. Basileæ condita. Knichen de Sax. non provocand. jure, ad verb. Electorum. capit. 5. Marquard. Freher. in assert. propriæ Gubernationis Dn. Friderici. 4. Comit. Palatin. Anton. Colerus de Jure Imper. Roman. th. 55. vid.* Die kurtze Verzeichnus / was Herr Hertzog Reichardt / *Anno 92.* den 18. *Januarii*, bey Herrn Friderich Pfaltzgraven Churfürsten / ꝛc. einer Vermeindten Tutel und Curatel wegen gesucht. Idque an aliis in Ducatibus habeat locum, vid. Ant. Colerum, *d. loc. th. 65.* 22

Usu

23 Usu aliàs & Jure Camerali, Princeps minor regens, pro majore habetur; potestque in jus etiam vocari, propter Consiliarios nempè, ex quorum consilio omnia agere censetur: & qui ideò, quod minuit ætas, consilii plenitudine supplent. Potest tamen restitui, si fuerit læsus. *Amplissimus Rutg. Ruland. fautor mihi singularis. decis. jur. controvers. 5.*

24 Jure ferè gentium communi, Reges non esse desinunt, durante qui Imperio, mente similivé vitio capiuntur. *argum. l. 20. ff. de stat. homin.* Quod & obtinet in Feudis. *Rosenthal. cap. 7. conclus. 27. num. 13. Dn. D. Plebst. Disputat. feud. thes. 28.* Ita Judex aut Magistratus qui furere cœpit, licet novè Judex creari non possit; *l. cum prætor. 12. §. 2. d. Judic. l. 1. §. 5. de postuland.* veterem tamen retinet auctoritatem. *l. Judex. 46. d. Judiciis.* Ratio differentiæ inter acquisitionem & retentionem, in eo consistit: quia ibi animus requiritur, qui hîc abesse potest. *argum. l. 17. §. 1. de acquirend. possess.* Sicque cùm Saul Rex Israëlis, in furorem incidisset; Regno tamen minimè fuit privatus. Sic quoque Oziâ Rege Judæ, Elephantiasi laborante; non Regnum, sed Regni administrationem cœpit Filius Jonathanus. 2. *Chronic. 26.* Ita & in Galliis factum, cùm Clodovæus secundus, in morbum animi incidisset. Et posteà cùm Carolus 6. magno incendii metu perculsus, furiosus evasisset. *ut Guagnin. testatur, & rerum Gallicarum alii Scriptores.*

25 Rege autem Regere impedito, Regni regimen ad Primogenitum pertinere suo jure, ut propriæ rei; etiam Rege invito, seu quamvis is priùs aliter disposuisset: nec hoc in casu Papam, aut Status, seu corpus civile, alium Primogenito Coadjutorem posse dare, multis probat Johan. de Rubeâ Terrâ, *tractat. de jur. Successor. Regni Gall. tract. 1. artic. 4. & tract. 2. artic. 1.* E contrà per tres Status, Regnum fuit gubernatum, Johanne Galliæ Rege, in Angliâ captivo existente. *Jeh. Froissart. tom. 1. cap. 170. & vid. eund. c. seq.*

Et

Et de his hactenus disserui saltuatim. Non memores monere, vel de Magnatum litibus Iudicium mihi sumere; sed Iuris ac Politices Studiosis, gravissimarum harum controversiarum præbere gustum, animus fuit. Cæteris illud Merlini Coccai præscribo:

Me legat amussim, quisquis legit omnia; quisquis
Scit quia fert aliquid lectio quæq; Boni.

Elenchus Capitum.

Disputationum de Successione & Electione Regiâ Prodromus; certamen Prærogativæ, quod Electioni cum Successione est decernit. fol. 1.

Libri Primi,

Regiæ Successionis perstringentis jura;

DISSERTATIO I. De Regalis Successionis agit qualitate duplici: Patrimoniali seu hereditariâ, & Legitimâ vel gentilitiâ. fol. 21.

DISSERTATIO II. Regiam Successionem in Testamentarium ac Intestatam dispescit: & de priore pluribus agit. fol. 26.

DISSERTATIO III. De Ascendentium Successione in Regnis, fol. 37.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [171] - 165

DISSERTATIO IV. Partitionem inter plures Heredes nauſeare Regna: Primogenitumque Gentium jure communi, cæteris in Succeſſione præferri. fol. 39.

DISSERTATIO V. De Mediis ad Alendos ſecundogenitos opportunis. fol. 47.

Tractätlin / Wie ein Fürſtlich Hauß zuerhalten / Principis cujuſdam in Germaniâ Viri. fol. 56.

DISSERTATIO VI. De Regnis, Diviſioni ex Lege vel conſuetudine obnoxiis: & quid heîc in Germaniæ Ducatibus, Comitatibus, &c. receptum. fol. 64.

DISSERTATIO VII. De Filio ante adeptum Regnum nato: & de controverſiâ inter Patruum & Filium præmortui Fratris. fol. 73.

DISSERTATIO VIII. De Fratribus, & ulterioris gradus Collateralibus aliis. fol. 78.

DISSERTATIO IX. De Regum Liberis Naturalibus: Et item de Legitimatis. fol. 80.

DISSERTATIO X. Quæ Regiæ Hereditatis enumerat incapaces. fol. 85.

DISSERTATIO XI. De Jure Fœminarum in Succeſſione Regali. fol. 88.

DISSERTATIO XII. In Succeſſionem Fœminarum, ſtudioſiùs inquirens. fol. 95.

DISSERTATIO XIII. De Confraternitatibus, ſive Pactis Succeſſoriis Illuſtrium perſonarum. fol. 101.

DISSERTATIO XIV. Quo Judice, & ſecundum quas Leges, de Regali Succeſſione quæ ſuboriuntur controverſiæ, dijudicentur. fol. 106.

Libri Secundi,

Qui eſt de Imperiis ſuffragio quæ deferuntur:

DISSERTATIO I. De Regnis quæ in hanc Claſſem

ſem Referenda, Quodque Electio, vel liberi vel reſtricti ſit voti. fol. 110.

DISSERTATIO II. De Modo, Legibus, Cautionibuſque Electionis. fol. 116.

DISSERTATIO III. De Electoribus in Imperio Germanico-Romano. fol. 128.

Libri Tertii,

Ubi Affectiones aliquot Succeſſorii & Optivi Regni conferuntur:

DISSERTATIO I. De Inauguratione, ſeu Conſecratione Regum. fol. 134.

DISSERTATIO II. De Contractibus Anteceſſorum; & annè Succeſſores obſtringant. fol. 139.

DISSERTATIO III. Summis an Principibus, eorum ante exceſſum, futurus deſignari poſſit & debeat Succeſſor. fol. 142.

DISSERTATIO IV. De Interregno, & Regiâ Tutelâ: ac iis qui abſente vel ægrotante Principe, Rempubl. adminiſtrant. fol. 151.

FINIS.

PEREZ.

Ay ſuennos de desvelados, como de dormidos.

Errata quidem operarum incuria non pauca procuravit; quæ tamen talia cùm ſint, ut attentum Lectorem remorari non queant, haut vilum fuit ea hic adnotare.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [173] - 167

Disputatio Iuridicopolitica,

REGIÆ ELECTIONIS ATQUE SUCCESSIONIS RATIONES utcunque perstringens.

I.

VULGATA est divisio Monarchiæ, in Regnum, & Dominatum. Uterque autem, tam Dominus scilicet quàm Rex; vel nascitur, vel eligitur.

2. Quæri hîc potest, num Regna quæ dependent ab Electione, Statui Regio, an verò Optimatum mereantur adnumerari: Seu, An Electio, sui naturâ faciat Aristocraticum vel mixtum Statum? Quod cum communi Scholâ Politicorum, & Clariss. Paulo Busio, *Disput. Polit.* 16. *th.* 26. negamus.

Sanè Lex Regia, *de quâ in l. 1. ff. de Constit. Princip.* de Principatu Electivo est scripta; & nihilominus Regnum plenum constituebat. Hoc etiam intuitu apud Sozomenum, *Histor. Ecclesiast. 6. cap. 6.* Valentinianus Imperator dicit: Me ad imperandum deligere, ô Milites, penes vos erat: sed cùm jam à vobis sim delectus, Vos, quimeo jam Imperio subjecti estis, conquiescere; Me autem, utpote Imperatorem, quid agendum siet considerare decet. Adstipulari ergò non possum Eruditissimo Arnisæo, qui *Relect. polit. lib 2. cap. 2. sect. 4. num. 28. fol. 127.* ad deteriorem partem animum applicante Principe, Electoribus in promptu remedium esse ait (quo Subditis contra Hereditarium Regem uti non liceat) nimirùm, ut quem meritum investierunt, eun-

eundem immeritum deveſtiant. Cùm quippè Imperandi jus, ſtatuſque forma, non Electio vel Succeſſio, de removendo Principe quando agitur, ſit indaganda. Nec item adprobare queo, quod *ibid.* dicit Arniſæus, *num. 40. & 45.* In Dominatu neceſſariò ſuccedi; Regnum autem indifferens eſſe ad Electionem & Succeſſionem. Dominatum & Tyrannides, nec ſtare poſſe nec propagari, niſi in heredes tranſmittantur: imò eorum naturæ Electionem repugnare, &c. Ettamen Mameluci, Ægyptum occupantes, dominiceque inibi imperitantes, filios in electione novorum Sultanorum exclusêre ſemper. Ac cùm Mahometes Cathbey filius, contra Regni Leges, invaderet Regnum, tot cædes indè ſunt ſequutæ; ut niſi ad Campſonem Gaurium, priſco inſtituto Imperium fuiſſet devolutum, totus ordo Mamelucorum interiturus videbatur. *Caſp. Peucerus, lib. 5. Chron. in Selym.*

3. At quæ ſit præferenda, Electióne, an Succeſſio? diſceptatio eſt admodùm vetuſta. Et quidem pro Electione ſunt rationes, ſunt exempla: Principatumque non ſanguini deberi, ſed meritis, & inutiliter regnare, Rex qui naſcitur, & non meretur; ex Ariſtotele colligo. *lib. 3. polit. cap. 11.* Illius verò Regni cui Rex naſcitur, conditionem meliorem, pacatiorem & digniorem eſſe, ejus cui eligitur; acerrimè contendunt alii multi. Nos ſui naturâ, Electionem præſtantiorem reputamus: firmiorem & tutiorem Succeſſionem, in Republicâ turbatâ; vel ubi non idonei ſunt Optimates, idoneum ut eligant Regem, *videatur Dom. Præſidis Prodromus, Diſſput. Nomicopolit. de Succeſſ. & Elect.*

(1) Succeſſionem in primis commendare videtur: quòd Electiva pleraque Regna, controverſis Electionibus tantùm non penitus everſa; ad Succeſſionem, tanquàm ad ſacram, quod ajunt, Anchoram tandem confugere ſunt coacti. Regis eligendi libera poteſtas, quam prioribus Seculis Sueci habuerunt (& de quâ etiam eorum loquuntur Leges; à Joh. Meſſenio nuper denuò editæ, *lib. 2. cap. 3.*) Succeſſioni parùm abſimilis erat: cùm ferè non niſi ex Regiâ familiâ Principes ſumerentur. *Joh. Magni, libr. 19. cap. 10. Olaus Magni, 8. cap. 1.* Sanè Divinâ providentiâ, ma-

gnoque Reipublicę bono crediderim factum, utà tempore Sancti Erici Regis, quem Sueones elegerunt, & Caroli; alternis vicibus, ex eorum posteritate Reges, qui Suecico simul & Gothico Regno præessent, eligerentur. Quàm gravissima autem Bella, tam intestina quàm externa fuerint orta, cùm illam Successionem mutare cogerentur; testatur Seculum ab Anno Christi 1400. tempore præsertim Erici Pomerani, Christophori, Caroli-Canuti, & Stenonis Senioris: qui Moschum debellavit, Danum prostravit, & intestina bella, ab Archiepiscopo Jacobo mota, sedavit *Iohan. Magn. 22. 23.* Ac jam diu antè, Christianissimo Rege Stinkel defuncto, duobusque Hericis de Regno certantibus; omnes Suedorum potentes in Bello occubuisse feruntur. Nam & ambo Reges ibi perierunt. Ita prorsus deficiente omni Regali prosapià, & status Regni mutatus, & Christianitas ibi turbata est valdè: ut habet M. Adami hist. Ecclesiast. *cap. 170.* Tandem, Gustavus Erici, Anno Christi 1527. non in præsentià solùm, quieti, honorique patriæ consulere; verùm ad omnem posteritatem, saluti & tranquillitati totius Regni, & simul familiæ suæ dignitati prospicere cupiens; vagam illam ancipitemque, & turbis ac seditionibus assiduis obnoxiam eligendi rationem adstrinxit, & ad familiam unicam jus Successionis alligavit. Id quod factum est in Comitiis Regni, Arosiæ dicto Anno 1527. celebratis, ubi simul ordo Successionis certus, constitutio ne sollemni, quam Unionem hereditariam vocant, statutus sancitusque fuit. *Chytræus, Chron. Sax. lib. 15. fol. mihi 407. & seq.* (2) Nullam certitudinem Electio, vel exindè habere potest: in publicis quia muneribus, alii meliùs, alii deteriùs quàm de iis opinio erat; sese gerunt plerunque. *vid. Scip. Amirat. dissert. Politic. libr. 3. discurs. 11. Richter. axiomat. histor. 176. 249. & 255.* (3) Asperius nihil est, humili cùm surgit in altum. Et sapienter eundem in sensum, Theganus Chorepiscopus Trevirensis *(editus cum Scriptoribus Francicis coætaneis x 11. à Pithæo) de Ludov. Pii vitâ, cap. 20.* Postquàm tales culmen accipiunt, nunquàm sunt, sicut anteà tam mansueti, & sic domestici, ut non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, injuriosi, & minas omnibus subjectis promittentes; & per hujusmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpissimum

simam cognationem eorum, à jugo debitæ servitutis nituntur eripere, & libertatem imponere. Tunc aliquos eorum liberalibus Studiis instruunt, alios Nobilibus fœminis conjungunt, & propinquas eorum, filios Nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis æquanimiter vivere potest, &c. (4) Indigenis Principibus, nationes procliviùs subjici solent. *Iohan. à Chokier, in Thesaur. pol. aphorism. lib. 1. c. 2. fol. 9.* Patrii econtrà mores, ad arbitrium Principis externi accommodandi, & libertas turpi servitio mutanda erit. Caroli V. optimi Principis Imperium, Hispanici, Burgundicique Ministri exosum reddiderunt. Lazar. Schwendi/ im Bedencken von Regierung d. ß Röm. R. *n. 15. & seqq.* Et ille idem, Hispaniâ excedere potius, quàm Germanos satellites & alios, ex Aulâ dimittere volebat: referente Chytræo, *in orat. funebr. quæ extat Chron. Sax. libr. 19. fol. mihi 509. & seq.* Extero quidem Principi obedire, dedecus esse haut videtur; si sanguinis jure (id quod rariùs fit) is capiat Regnum. *Conestagius, de Portugal. cum Castel. Regno conjunct. lib. 4. fol. mihi 176.* Et tamen Carolus Lotharingius, ultimus ex Carolinâ prosapiâ heres, odio peregrinitatis rejectus, & Hugo Capetus Rex electus fuit. *Bernh. Girard. hist. de France. lib. 6. fol. 523.* (5) Regnum Electivum, ut res aliena & ad ingratum forsan heredem perventura, negligentiùs administratur. Unde Auctor Thesauri politici, *libr. 1. relat. di Roma, fol. mihi 40.* De Patrimonio D. Petri scribit: Che tocca il temporale del Pontefice, dico; che se un secolare fusse padrone dello Stato Ecclesiastico, & che come cosa propria lo curasse, & governasse; haveria causa di cedere à poci Prencipi. Ma i Pontefici, che di tempo in tempo sono stati, poco hanno pensato, non dirò al miglioramento delle conditioni sue, nè anco si può dire alla conservatione: onde non è da maravigliarsi, se in tutta la Christianità, non si trova forsi altro Stato manco armato, provisto, & difeso di questo esposto posso dire alla præda, & al acquisto di che si risolvesse assalirlo da dovero. Paullus 3. Pont. Max. cùm à Cardinalibus, quòd Parmam & Placentiam in fraudem Ecclesiæ, Agnatis donasset, reprehenderetur; Divi Paulli verbis respondebat: Vellem à Christo separari propter fratres, qui mihi juncti sunt secundum carnem. *Henr. Estien. en l'Apolog. pour. Herodot. cap. 25. fol. mihi 557. ad fin.* Quibus rationibus,

nibus nepotem ſuum Borgheſium ſubgrandem locupletemque reddat, mira refert Nicol. de Morbais, *en la Supplicat. ſurles cauſes d'aſſembler un Concile. fol. mihi 266. &c.* Et idem *fol. 274.* ſcribit: Que Paul V. toutes & quantesfois, qu'il crée des Cardinaulx, ne ſe propoſſe autre fin, ne viſe à aucun autre but; qu'à la chair, à l'avancement de ſon badaut de Neveu, à l'or & argent, &c. Hûc pertinet apophthegm. Cardinalis Petri Gonçales de Mendoza: Que el linage, donde no avia corona, que nunca medrava. *Floreſta Epagnola. part. 1. cap. 2. num. 11.* (6) Mutationes ſemper ſunt metuendæ, & omnis mutatio occaſio eſt promptiſſima turbarum. *Iean. de Marnix. ſect. 4. reſol. 6.* At verò in Succeſſorio Regno, perpetuum quaſi eſt Imperium unius. (7) Facilius Subditorum mores corrigit hereditarius Princeps, quàm electus. *Trajan. Boccalini, libr. 1. cap. 80. d. Parnaſſo.* (8) Natus qui eſt Princeps, haut opus habet adſcititiâ reputatione, Barbaricoque faſtu, quibus ſe efferat inter ſuos. Sicque Galliæ Reges ſupra modum familiares, non neceſſe habent metuere contemptionem; quam utpote prohibet genus atque Natura. *vid. auctorem Politici Theſauri, part. 1. relat. di Franciâ, ſol. mihi 182. §. Tutti queſti riſpetti.*

Pro Electione propugnare videtur: (1) quòd abſonum eſſe videtur, uni alicui dare omnem abſolutamque poteſtatem; idque ex naſcendi ſorte. Licentiam etenim habere omnia ex animi ſui ſententiâ agendi loquendique, id quidem ſi in homine ſapiente ſpectaveris, eſſe cauſſam publicæ Felicitatis invenies; ſin verò in ſtulto, communis perniciei. Ideoque qui eam poteſtatem homini indigno aut incapaci concedit, infanti ſcilicet ille aut inſano gladium porrigit: qui autem prudenti eam tribuit, hoc efficit, ut is omnibus, ipſiſque adeò fatuis nec volentibus, adferat ſalutem. *Dion. lib. 52. fol. mihi 472.* (2) Heroum filii, plures propter cauſſas, plerunque ſunt noxæ. *vid. Richterum, axiom. hiſt. 112. & eund. axiom. œconom. 15. ac ſeq. Chriſtoph. Sturzium, libr. d. Imperio Germanor. cap. 17. num. 3. & multis ſeqq. Chriſtian. Matthiam Dithmarſ. amicum meum honorandum, Colleg. Ethic. 3. Diſputat. 5. diſquiſ. 2.* Quin & à curioſis obſervatum reperimus; Familiarum felicem ſtatum, rarò ultra trinepotes durare. *Richter. axiom. Oeconom. 21.* Et quoque propter Parentum magnorum, ſcelera ferè magna;

magna; pœnæ publicæ in totas familias graſſantur. *Richter. Axio. Oeconom. 23.* Inter duos fortes Reges, in Angliâ ſemper unum minùs ſufficientem interponi; adnotat Froiſſart, 1. *cap.* 2. quæ forſan felicitas, non omnibus contingit Succeſſoriis Regnis. (3) Electio Juvenes arcet: quos Succeſſio ſæpiùs obtrudit. Tyrannidem autem exercere, tam conſentaneum eſt juventuti; quàm amare & ebrietati indulgere: ut apud Philoſtratum Apollonius ait. *libr. 5.* Nihil magis Reipublicæ metuendum eſſe, quàm Regis minorennitatem, Stephan. Paſquierius probat, *5. des Recherch. capit. 5.* No es eſte juyzio para moços, que no ſe ſaben a razon ſometer, ny ſe ſaben adminiſtrar. Miſerable coſa es, penſar ſer maeſtro, el que nunca fue diſcipulo. *Tragicomed. de Celeſtina. fol. mihi 30.* idque cumprimis hiſtoriæ Gallicanæ probare videntur. *v. Bernard. Girard. hiſt. de France, libr. 2. fol. mihi 113.* (4) Memoriâ dignum eſt apophthegma Caſparis Slikii, qui trium Imperatorum Romanorum, Sigiſmundi, Alberti, & Friderici 3. Cancellarius fuit (qui idem Eurialus eſt Æneæ Sylvio) Optaſſe hunc ferunt, Omnes Reges aliquandò privatos, pauperesque fuiſſe; ut quales ſe erga privatos & miſeros ſubditos exhibere oporteat, conſiderare faciliùs poſſent *Chytræ. orat. d. Ferd. Imper. quæ extat libr. 21. Chron. folio 550.* (5) Veraces punire hiſtoriarum ſcriptores, impudentia eſt, imò etiam ſcelus. *Amirato. libr. 4. diſcurſ. 8. & vid. D. Præſ. in Templo Iuſtit. num. 53.* A morte Regum producuntur crimina. Reges enim dum vivunt, paſſim audiunt benè, neque eſt qui vitia eorum veris nominibus perſcribat: quicquid faciunt, ſi non laudatur, at non vituperatur. Cæterùm non ſemper malè audire Principes à morte; ſed tum demùm, cùm non relinquunt filios ſucceſſores, ratio ipſa dictat. *vid. Ian. Gruter. in not. ad tom. 2. Florileg. Ethicopol. fol. mihi 229. & ſeq.* (6) Nec tandem bonus Princeps, niſi bonis filiis Regnum relinquere debet: id quod in Electivo tantùm Imperio facere poteſt. Unde Apollonius, *lib. 5. apud Philoſtrat.* ad Veſpeſianum. Filii duo tibi ſunt ô Rex, & hi quidem (ut fertur) generoſi; ipſis igitur fortiſſimè impera. Nam ſi illi aliquid fortè delinquerint, tibi profectò calumniam afferent. Minitare quoque, te illis Regnum non traditurum, niſi boni honeſtique eſſe perſeveraverint: ne tanquàm hereditatem

rem aliquam Imperium existiment, sed quasi virtutis honestatisque mercedem.

4. Non semper quæ Regna Electiva, seu Successoria sint, constat. Sane Hungari contra Ferdinandum Austrium (ex pacto inter Maxæmilianum & Ladislaum Hungariæ Regem, Anno Christi 1491. inito, tum hereditario jure, quia Ludovici ultimi Regis sororem in matrimonio habebat) successionem in Regnum prætendentem; *Sleidan. libr. 6. Comment.* tam obstinatè jus suum, quod frustra pactionibus ereptum dicebant, urserunt: ut Turcicæ perfidiæ se committere, quàm Sceptris hereditariis eum potiri maluerint. Et ii adhuc prætenderunt jus Electionis, cùm adversus Imperatorem Rodolphum, seditionem moveret Botskaius. *Mercure Franc. sub Anno, 605. fol. mihi 24.*

5. Bohemis itidem in casu vacationis, jus eligendi Regis indulget Caroli IV. Aurea Bulla. *cap. 6.* hocque privilegium ipsis ab Imp. Philippo, Anno 1200. in Comitiis Moguntinis, datum esse, refert Dresserus. *in Millenar. 6. part. 2. ubi de Bohem. in 35. Duce.* Quo tamen nomine Austriæ Archiduces ipsis litem movere puto.

6. At verò Imperium Germanico Romanum, Electione liberâ defertur: nec unquàm certæ alicui familiæ, quamdiù apud nostrates, vinculo non solubili fuit alligatum. *c. venerabilem. 34. ext. d. Elect.* Juris namque Imperii apex est (verba sunt Otth. Frisingensis) non per sanguinis propaginem descendere; sed per Principum Electionem Reges creari. Hincque Guntherus, *in Ligurino, libr. 1.* canit:

Nos quibus est melior libertas, jure vetusto,
Orba suo quoties vacat inclyta Principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.

Arnisæus quidem, *relect. pol. libr. 2. cap. 6. sect. 5. num. 32. & 6. fol. 1042.* Successores Othonis I. Imperium jure hereditario habuisse putat; & Henricum 3. patri sine controversiâ successisse, & etiam tum, cùm vix puer esset, Imperatorem dictum fuisse ait.

Hunc

Hunc excepiſſe Henricum 4. puerum ſeptennem, ſub tutelâ matris, & Conradi Suevi conſtitutum. Quæ opinio à Matthiâ Börtio, *tract. de natura Iur. Majeſtat. cap. 2. theſ. 9.* refutatur. Et facit hûc, quòd eligendi libertatem, Guntherus jus vetuſtum vocat.

7. Electiva, ſeu Optiva Regna, triplicia eſſe reputantur, *vid. Petr. Gregor. Tholoſ. 7. de Republ. cap. 15.* vel etenim ex omnibus deligitur Princeps; quæ *Electio liberi voti* vocatur: & de quâcunque domo, non cives modò, ſed & peregrinos aſſumit; nec ſolùm ex ordine Principum, aut Optimatum, ſed & è plebe. *Börtius d. naturâ Jur. Majeſt. cap. 2. θ. 8.* quemadmodùm olim Poloni ſuum Piaſtum, Bohemi Primiſlaum; & milites Romani, modò civem, modò peregrinum, ullo ſine generis intuitu ſumebant.

8. Porrò ex certâ tantùm hominum ſpecie, alibi Rex eſt ſumendus: quemadmodùm noſtrâ ætate in Poloniâ, omnibus incolis viam ad Regnum præcluſam eſſe, dicunt Bodin. *6. d. Republ. 5.* & Eberhard. à Weihe, *Diſput. d. ſucceſſ. elect. præferend. F. 2.* (quod tamen nobis fide dignum vix videri poteſt.) Econtrà verò in Iſraelitico Regno, alienigenam vel peregrinum eligi, ab ipſo DEO prohibitum fuit: *Deut. 17. v. 15.* id quod & Politici conſultiùs eſſe cenſent. *Reinh. Kœnig, Diſput. d. Elect. & Succeſſ. quæſt. 2. quæ habetur in polit. Goldaſti, fol. 654.* Sicut & ad Imperii Romano-Germanici faſtigium, ob legem Imperii, ab Ottone 3. ut quidam putant, ſancitam; non niſi Germanus evehi poteſt. *Lancellot. Conr. Templ. Judic. 1. cap. 1. §. 2. fol. 59. & 67. Althuſius, polit. cap. 19. num. 76. Heigius 1. quæſt. 5. Kirchner. Diſputat. 4. theſ. 3. Anton. Coler. Diſput. d. jure Imperii Germanici. 2. θ. 35. Dn. Præſes, Diſputat. Nomicopolitic. d. Succeſſ. & Election. libr. 2. diſſert. 1. n. 6. & ſeq.*

Sanè ſi rem accuratiùs penſitemus, jam ante Othonem 3. Imperium penes Germanos erat, ad Germanoſque pertinebat. etenim ex c. venerabilem. 34. *ext. d. Electione.* c. ad Apoſtolicæ. 2. *d. ſent. & re Iud. in 6.* clem. 1. d. Jurejur. apertè probatur; Imperium Romanum, à Græcis tranſlatum fuiſſe in perſonam invictiſſimi

simi Caroli Magni. Hìc verò minimè audiendus est Bodinus, Germanici nominis hostis; qui Carolum natione Gallum, in Galliâ natum, linguâ quoque, moribus & institutis, unâ cum majoribus suis educatum scribit; *in Meth. hist. cap. 7. & 1. d. Rep. 9.* Francos etenim, antiquissimum Germaniæ Populum fuisse, constat; *Eudolph. d. Babenberg. lib. d. Iur. Regni. cap. 3. Wimpheling. rer. German. cap. 22.* qui tandem in eâ Galliæ parte consedit, quæ ad hoc usque tempus Francia nominatur. *Procop. 3. d. Bell. Goth. Sigon. 13. d. Imperio Occident.* Ita ut Germani Gallis, & non Galli Germanis cæperint dominari. Quin & Carolum M. Carloburgi in Bavariâ, natum: & Ingelheymiæ circa Wormatiam educatum fuisse, historiarum monumenta veriora testantur.

9. Et quamvis in omni ferè Elective Regno, semper proximorum defuncti Agnatorum ratio habeatur; idque jure merito fiat: per rationes ab Arnisæo adductas. *relect. Politic. libr. 2. cap. 2. sect. 5. num. 6. & seqq.* Attamen ex eo, quòd arbitrium suum ad Regiam stirpem sponte plerunque limitant Electores; Imperium non Electivum esse, haut concluditur ritè. Sicque Dani, nullâ licet vi Regum Electionem sibi eripi passuri videantur: Regum tamen filios vel agnatos, aliis anteferre solent. Quemadmodùm etiam ex Saxoniæ, Sueviæ, & Austriæ Principibus, multi successivè ad Imperium Romano-Germanicum pervenerunt. Ut &, quòd superiores Poloniæ Reges, continuato ferè temporum contextu, alter alterum ex eodem genere exceperit: hoc rectè virtutibus, & innatis Nobilitati Polonicæ erga Regiam prolem studiis, adscribit Thuanus, *libr. 56 fol. 1115.*

At si arbitrium Electorum, in jus vertere nitantur heredes, maturè obviam est eundem. Inde Poloni, Casimiro I. mortuo, cùm filium impuberem reliquisset; rati tempus esse, ut à Successione Principis depellerentur, Regiamque autoritatem, deducerent ad libera vota Palatinorum: diù cunctati sunt Principatum Paternum filio confirmare; ne perderent jus eligendi. *Cromer. libr. 7. à pr.* Tam rigidè item Electionem custodiunt Populi in Insulâ Taprobanâ; ut senem propterea eligerent liberos non habentem: aut si pòst contigisset, ut liberos susci-

pe-

ret, abdicarent; ne quo casu hereditarium fieret Regnum. *Plinius, 6. cap. 22.*

10. Aliud est, si ex Domo Regiâ, necessariò sumi debet Princeps. Quemadmodùm apud Abyssinos usuvenit: *Bodin. meth. Histor. cap. 6. fol. mihi 293.* & item in Bohemiâ olim observatum fuisse, Æneas Sylvius, *in Bohem.* refert. Ut & ad extremum Persarum Regnum, non tam Lege, quàm Procerum suffragiis delatum fuisse, haut uno loco Procopius ostendit: ita tamen ut non alii, quàm qui stirpis Regiæ essent, ad Regni culmen eveherentur. *videatur Henn. Arnisæ. d. cap. 2. sect. 5. à principio.*

11 Verùm ut prioribus duobus modis, ubi nempè ex omnibus, vel etiam ex certâ hominum specie, deligitur Princeps; Regnum constituitur merè Electivum. Ita posterior, ad certam domum suffragia alligens; Successionis quid cum Electione commixtum habet: Electione tamen prevalente. *Vinc. Cabotius, Disput. lib. 1. cap. 8. & 9.*

12. Legitima Electio habetur, secundum Leges, & instituta, moresque quæ peragitur Reipublicæ; & ab iis, qui Electionis jura habent. Quâ ratione varia iterùm discrepantia suboritur in Regno Elective. Quamvis autem Electio ad consociationem spectet universalem: *Althus. polit. cap. 19. num. 23. & seqq.* nihil tamen in Republicâ pernitiosius esse reputatur, quàm si illa non suis limitibus, certisque personis & Legibus finita sit, atque circumscripta. *Dn. Præs. Disput. Nomicopolit. libr. 2. dissert. 2. à princ. & num. 3. adde Arnisæ. d. cap. 2. sect. 4. num. 30. & seqq.*

Hoc amplius hic est notandum; quòd ubi legitima Electio usurpatur, jurejurando adigi solent Electores; ut eligant, quem omnium dignissimum putant. Sic enim jurant Electores Imperii Romani; sic Cardinales vigore Bullæ Julii 2. sic Nobiles Daniæ, Poloniæque Palatini, priusquàm ad Electionem novi Principis admittantur. (2) An quis ex Electoribus se ipsum eligere possit? dubitationem haut exiguam habere videtur. Certè Jo-

hannes 24. P. M. qui ex compromisso jus Pontificis renutiandi habens, se ipsum nominavit; à Concilio Basileensi de sede deturbatus fuit. *vid. Nic. de Morbais. en la Supplic. sur les causes d'assembler un Concile. fol. m. 182. & seqq.* (3) Nulla censetur Electio, redempta quæ est donis muneribusque: quæ masculè sprevit Fridericus Saxoniæ Elector, cùm Maxæmiliano I. Successor quæreretur. *ex Erasmo Sim. Goulart. 3. des histor. admirabl. fol. mihi 203.* (4) Maxuma requiritur prudentiâ in Legato, qui Principi suo Regnum peregrinum ambit: ejus splendidũ præbere potest exemplum Johan. Monlucius, Episcopus Valentinus, cujus ductu, Poloniæ Coronam acquisivit Caroli 9. Galliarum Regis frater. *vid. omninò le discours de tout ce qui s'est passè pour l'entiere negociation de l'Election du Roy de Pologne. fait par Iehan Choisnin.* (5) Summa tandem prudentia est in Principe nuper electo; benevolum si etiam illis sese præstet, suam qui promotionem impediverunt. quod non neglexit Leo XI. P. M. erga Cardinalem Avilam Hispaniæ protectorem. *Mercure Franc. 3. b.*

13. Ita in Regno Romulejo, Electio fiebat jussu populi, auctore Senatu. *Livius, libr. 1.* Imperatorum verò Romanorum electionem, copiæ Militares arripuêre. *Capitolin. in Alexand. Severo. à princ. Vopiscus in Aurelio.* prorsùs præter rationem. *Arnisæ. d. cap. 2. sect. 4. num. 51.* Licet semper contradicente, & non rarò jus hoc sibi vindicante Senatu. *vid. Jul. Cæsar. Bulenger, d. Imperat. Romano. libr. 2. c. 1. & 2.*

14. In Imperio Germanico Romano, Electioni certas leges, Caroli 4. præscribit Bulla. Ejusque plenarium jus, apud septem Electores residere videtur: de quorum origine, & antiquitate, varii varia prodiderunt. Nos Electorum Institutionem, minimè Ottoni tertio: sed ei demùm seculo, quod Fridericum primum subsecutum est, attribuere possumus. Auctoritate eorum, qui cùm Imperatorum vetustiorum Electiones accuratè describunt; nec tamen reliquos Princeps à jure suffragii ferendi excludunt. *vid. Dn. Præsid. Dispp. Nomicopolit. libr. 2. dissert. 3.*

Quippe neque Witichindus, neque Luitprandus, neque Lam-

Lambertus, neque Rhegino, neque Marianus, neque Otthο Frisingensis, neque Abbas Urspergensis, neque Sigebertus, aliique Veteres Germaniæ scriptores; ullum verbum hâc de re scripsèrunt. Ac si nobis ob oculos ponamus, omnes Imperatores, ab Otthone 3. usque ad obitum Friderici Secundi, deprehendemus; hosce omnes, tùm ab universis, totius Romani Imperii Principibus, Ecclesiasticis & Laicis, tùm etiam à quibusdam Populis, electos fuisse. *videatur Otth. Frinsing. lib. 6. cap. 27. & seq. ac libr. 7. cap. 22. Vrspergens. sub Anno 1035. & 1106. Sigebert. sub Anno 1126. Histor. Archiepiscop. Bremens. (quæ extat inter Scriptores rerum German. Septentrional. editos ab Erpold. Lindenbrog. fol. 111.) aliique complures. Adde Dissertationem Politicam, Anonymi cujusdam Germaniæ ICti. d. translat. Imperii Romani. cap. 7. Et consule item de Electoribus, Electioneque Imperatorum Romanorum; Lancellott. in Templ. Iudicum, 1. cap. 1. §. 2. fol. 76. &c.* Lehman/in der Speirisch. Chronic. *libr. 5. cap. 17. Arnisæum relect. polit. 2. cap. 6. sect. 5. numer. 10. folio 1033. &c. Onuphr. Panvin. de Comitiis Imperator. passim. Ioachim. Cluten. in Syllog. rer. quotid. thes. 24. Michael. Schiffereri, Disput. de Orig. & potest. Electorum, pro tot. Frid. Tileman. Disput. pandect. 2. thes. 50. vol. 1. Henr. Brunningi, Disput. d. universit. thes. 9. Anton. Coler. Disputat. d. Iure Imperii German. section. 1. thes. 45. & multis seqq. Reinh. Kœnig. Disput. d. statu Imper. Romani, & orig. Elector. quæ extat in polit. Goldasti, fol. 651.* (2) At quod referunt de Francofurto, ad ejus nempè mœnia adversarium exspectare, discordi electione qui fuerit nominatus Imperator: Wilhelm Dillich/ in der Hessischen Chronick. *part. 1. fol. 51.* hoc ad ea tempora pertinere videtur, quibus Electores nondum plenarium jus eligendi habuerunt.

15. Electio Pontificis Romani, quam soli nunc sibi ascribunt Cardinales, pertinuit olim ad Imperatores. *Vasquius Illust. 22. num. 7. & 10. M. Steph. 3. d. Iurisd. cap. 2. vid. Thesoro Polit. part. 1. fol. mihi 43. &c.* & adhuc pertinere debebat. Unde optat Ferrariensis JC. *in form. Libell. quo agitur ex substit. in verb. ex suo corpore. numer. 3.* Surgat Imperator, & dicant omnes: Fiat Pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis. & repetat utrumque gladium, Temporalem & Spiritualem, quem

quem Imperium aliquando habuit. Adeò ut Impp. conferrent omnia Beneficia per universum Orbem; & ampliùs eligerent Papam, &c.

De Electione Pontificis, multa habet Lancellott. Conrad. *in Templ. omn. Iudicum, fol. mihi 558. usque 589. Petr. Andr. Canonhiero, introduz. all. polit. fol. 122. &c.* De Cardinalibus verò vid. eund. Lancellott. *fol. 682. &c.* & Petr. Molinæum, *tr. de Monarchia Temporali Pontif. Pom. cap. 3.* (2) An absens, seu non in Conclavi existens, Pontifex creari possit? disquisitionis esse videtur non inelegantis. Certè Jovius, *in vita Hadriani.* Creato, inquit, Pontifice Hadriano, & in Hispaniâ versante, cùm opifices, puerique, minacibus oculis, voceque & manibus obstreperent Cardinalibus, nec à seditiosissimis probris abstinerent; Sigismundus Gonzaga Cardinalis, renidenti vultu his egit gratias: quòd adversus extrema supplicia meritos, contumeliis essent contenti, nec Capitibus publicam injuriam vindicarent. Ita & arcanum fuit in Republicâ Romanâ, magno ejus damno vulgatum; extra Romam creari potuisse Imperatorem.

16. Illud quod Successione defertur Regnum, non parilem ubique, sed duplicem conditionem ac qualitatem habere comperimus: & proinde in *Hereditarium* seu *Patrimoniale*, & *Gentilitium* seu *Legitimum*, vulgò rectè discriminatur. *Petr. Gregor. Tholos. 7. de Republ. 11. & 17. Vinc. Cabotius. lib. 1. Disput. Juris Publ. & Privati. c. 10. 11. & 14.*

Exemplo juris Feudalis, distinctio hæc illustrari potest. Quod enim Feudistæ dicunt ex pacto & providentiâ Feudum; id hic legitimum Regnum appellamus. Feudum ex pacto & providentiâ vocant, ubi succeditur sanguinis jure, secundum dispositionem juris Feudalis. Hereditarium verò, successio ubi hereditario jure, seu secundum jus commune procedit. *Vultej. 1. d. Feud. cap. 8. vid. Matth. Börtium, tractat. de naturâ jurium Majestat. cap. 2. thes. 10.*

17. *Hereditarium* dicunt; ubi ex testamento, vel eo non condito, ex causâ intestati, sed habito tantùm respectu ultimi possessoris; hereditarioque Jure transmittitur Regnum. At *Legitimus* Successionis intuitu habetur Principatus: gentili-

tilitius ubi is honos est, & Legis vel consuetudinis providentiâ, certæ personæ, non ut heredi; sed secundum generis vel sanguinis prærogativam, summa confertur potestas.

Quibus ex indiciis, vel præsumptionibus nosci ac intelligi queat, ad hocné vel illud Successivi Imperii genus, referendum sit aliquod Regnum, non disputatione carere videtur. Rectissimè opinor à Cabotio, *1. Disput. cap. 10.* perpendi; An Rex, aliquâ sit Lege Successionis obstrictus: sivè initium habeat Imperium in personâ ejus, sive ab aliquo progenitorum ad illum fuerit traductum. Et sic Legitimum existimandum est Regnum, quod ab initio non uni solùm, sed & simul ipsius posteris est commendatum. quemadmodùm olim singuli Iisraëlitæ dixèrunt Gidhoni: Dominium habe in nos, tum tu, tum filius tuus, tum nepos tuus. *Iudic. 8. vers. 2.* (2) Lud. Molina *d. Iustit. & Iur. tomi tertii parte priore, d. Majoratibus & Tribut. tractatu 2. Disputat. 626. fol. 202. edit. Hanovienſis:* omne Regnum non jure hereditario, sed sanguinis, ad Successores deferri putat. Neque enim Successores in Regno, illud accipere ab immediato antecessore; neque ex dispositione & voluntate illius: sed id sumere jure sanguinis, atque ex pacto & providentiâ Reipublicæ, quæ Regnum ipsum instituit, certisque Legibus illud alligavit, ut eo modo in illud succederetur. Quam in rem, ex Legibus Hispanicis, sequentia adducit verba: E esto usaron siempre, en todas las tierras del Mundo do quier, que el Sennorio uvieron por linage. E contrà Michaël ab Aguirre, *in Responso de Successione Portugalliæ Regni, part. 1. num. 15.* Multis probare conatur, omnia Regna jure hereditario deferri: idque arg. c. licet. *ext. d. Voto.* Ex eo enim cap. apparere dicit; Primogenitum filium, cui jus primogenituræ ex consuetudine defertur, non à genere, sed à Patre illud consequi: id est, non tam quia primogenitus, quàm quia heres, &c. Nos à communi opinione recedere non quimus, quę hâc in parte, non omnia Regna uniformia esse docet.

18. Sic Hispaniæ Regna pleraque, paternis olim testamentis, jureque hereditario delata fuisse certum est. & probant de Castellæ, Arragoniæ, Legionis, Navarræ, & Majoricarum Imperio, Oldradus de Ponte. *consil. 94. 95. & 230.* Ca-

bot. 1. *cap.* 10. De Lusitaniâ est text. in c. grandi. *de supplend. neglig. Prælator. in 6.* Idem in Regno Siciliæ obtinuit antiquitùs: addam & in Neapolitano (licet id Sedis Pontificię Feudum, sed hereditarium existat) adeò ut proinde omnia in Sicilia quæ sunt feuda, ejusdem farinæ, hereditaria nempè esse; & quæ in capite disposita, ad membra quoque extendi, judicentur. *Knichen. 1. d. vestit. 2. num. 27.* Ut & Merovingorum, & postea Carolinæ domus, hereditas quondam fuit Imperium Francorum. *Vinc. Cabotius 1. Disp. cap. 13.*

19. At Hugo Capetus, Successionis exlegem progressum, vel præcipuè stirpi Carolinæ, ad interitum quòd ruerit, occasionem fecisse animadvertens: Regnum quò posteris firmaret perenne, Principatus capiendi modum, legum multijugi vinculo astrinxit. *Bern. Girard. tom. 1. de l' hist. de France, lib. 6. fol. 538. Jean. de Serres tom. 1. d. l' Inventaire: de l' hist. de Franc. fol. 355.* Ex eoque tempore, non ampliùs in Franciâ Patrimonialis sive hereditaria agnoscitur Regni successio; sed simplex saltem subrogatio primogeniti, vel proximioris agnati: ex solâ lege vel consuetudine, & non à proximè defuncto jus accipientis. *Molinæus ad consuetud. Parisiens. titul. 1. §. 13. glos. 3. num. 8.*

20. Hæcque ratio sucedendi, à plerisque optima reputatur. quam & nunc, omnes ferè Nationes amplectuntur: cùm nempè successio hereditaria, servilis & Reipublicæ pernitiosa censeatur, *Althus. polit. cap. 19. num. 77.* Ut & in Germania qui sunt Ducatus, Marchionatus, &c. Imperii quia feuda reputantur ex pacto & providentiâ masculina, legitimam inde successionem habere apparet. *Francisc.* Pfeil. *consil. 78. numer. 71. &c.*

21. Et quidem, si Jure Hereditario Regnum defertur, quia id habet successor à defuncto; ejusque factum præstare debet: *Rickius tract. d. unione prol. fol. mihi 225. usque 281.* & ideò omne æs alienum exsolvere tenetur: ad quod Rex legitimus, iis demùm adstrictus censetur, qui pro necessitate & utilitate

litate Regni, pecuniam credidêre prædeceſſori. *argum. cap.* 1. *extra d. ſolution. Anton. Peregrin. tractat. d. jure fiſci lib. 2. folio 109.* ſuccedit enim is in locum, non in jus perſonæ; ſed in jus Regni.

Non Obſtat cap. licet. *extr. d. voto.* Etenim ad illud ſufficienter reſpondet Ludov. Molina *d. Majorat. Diſput. 626. fol. mihi 203. & ſeqq.* ubi inter alia ita ſcribit: Quamvis heredes, quemadmodùm ſolvere tenentur cætera debita defuncti, ita teneantur implere realia illius vota, quæ ille non implevit. Attamen illa ſolvenda non ſunt de bonis Majoratus, aut Coronæ Regni; ſed de aliis propriis bonis defuncti, ſi quæ reliquit. Majoratui enim, atque etiam Coronæ Regni, non potuit onus ullum imponere, ex merâ ſuâ liberalitate, etiamſi erga Deum illam exercere vellet: ſed ſolùm Coronæ Regni imponere potuit onus, quod in bonum ejuſdem Regni cederet. Unde Rex Ungariæ, onus implendi Votum ſuum, non injunxit primogenito, ratione Coronæ Regni; ſed filio ſecundò genito, quò ad alia bona, &c. Porrò etiam perpendi debet, Regis Ungariæ filium, onus ſibi à Patre injunctum, ſponte ſuſcepiſſe: quemadmodùm hoc expreſsè in d. cap. recenſetur. Sanè ſi ſæpè dictum capitulum, non ita explicetur, abſonum & iniquum erit omninò. Ungariæ etenim Regnum, non Succeſſorium, ſed Electivum exiſtiere nemo neſcit: quo in caſu, Anteceſſoris facto, nullo modo obligatur ſucceſſor. Quare autem agnatus hereditatem omittere poſſit, & capere feudum; filius non item: docet Jac. Curt. *conjectur. tom. 1. libr. 3. cap. 15.* (2) Veruntamen tam in Electivo, quàm in omni Succeſſorio Principatu, Anteceſſoris, Principali nomine celebratos contractus; ſi non magnoperè Coronam lœdant, aut contra Leges, vel Imperii ſorent Majeſtatem, ratos ut habeat ſucceſſor, conveniens eſſe videtur. *Illuſtris Baro Enenckelius, libr. 3. d. Privileg. cap. 11. Ludol. Schraderus conſil. 9. 10. & 25. Cluten, Syllog. rer. quotid. theſ. 18.* Sicut etiam in Familiæ fideicommiſſo, Poſſeſſorem, in caſu dubio, & bonâ fide, aliiſque circumſtantiis concurrentibus, ita tranſigere poſſe, ut Succeſſorem non heredem liget; docet Peregrinus *d. Fideicommiſſ. art. 52. num. 88. & M. Anton. Petra, d. Fideicom. quæſt. 8. numer. 66. &c.* (3) Quemadmodùm verò onera regulariter ſe-

quuntur Regem etiam electum: ita quoque ea commoda habet idem, quæ aliàs defuncti personam strictè sequi videntur. Et sic legatum Principi relictum, transit ad ejus Successorem; etiamsi legatarius ante heredem decedat. Sicque Princeps revocare potest donationem factam ab antecessore, propter ingratitudinem in successorem commissam. *Illustris Enenckel. tract. d. privileg. libr. 3. cap. 17. numer. 26. &c. Dn. Bocer. in Classib. Disput. d. Donat. thes. 41.*

22. Hereditates vel ex Testamento, vel ab intestato ad nos pertinere, in Juris Romani Elementis, Imperator pronuntiat Justinanus. *§. fin. Inst. per quas personas nob. acquir.* Cæterùm in quæstione de Successione, dispiciendum cùm sit omnium primò, an is de cujus quæritur hereditate, ultimum suum ante mortem declaraverit votum: *l. quamdiu. 89. d. Reg. Jur. l. antequàm. C. commun. d. Succeff.* Proinde & in hâc nostrâ tractatione, æquè item de utraque; & quidem priùs de hereditate Regiâ ex Testamento quæ descendit, non nihil dicendum erit.

23. In Imperio hereditario, Testamento, vel simili alio ultimi Elogii genere, de Regno suo disponere pro arbitratu; Arrogationevé aut Adoptione Filium sibi facere potis esse Principem, Carol. Molinæus censet. *ad Consuet. Paris. §. 13. glos. 3. numer. 9.* ut quoque Feudum merè hereditarium, Vasalli subjacet dispositioni (perperam dissentiente Val. Guil. Forstero. *Disput. ad Inst. 2. sub t. 5. libr. 4.*) Et sic Hispaniæ, Angliæ, Burgundiæ, Siciliæ, Neapoleos, & si quæ sunt alia Hereditar a Regna; Regum olim Testamentis identidem relicta fuisse, ex certis rerum gestarum monumentis perspectum habemus.

24. Integrum item esse Principi, in Hereditario Regno, libero quem velit voto, ex suis eligere filiis, dubitatione vacare dicunt. *Ant. Bagnasacus, in Responso de Succeff. Regni Portugall pro Sabaudiæ Duce. num. 41.* Et in Historiis undique sunt obvia exempla, Judicii Parentum, in designando sibi Successore qui placuerit ex filiis, liberrimi omninò. Certè Pyrrhus, ei

qui

qui ex filiis ſuis gladium habuerit magis acutum, Regnum ſe relicturum ſpoſpondit. *Plutarch. in vita.* Et Comes Embdenſis, ex liberis heredem digniſſimum nominavit. *Borcholt, conſil. 13. fol. 208.*

At in hâc hereditariâ Succeſſione, Patris diſpoſitionem locum habere volunt, in iis tantum qui ex Regio genere exiſtunt. *Richard. Dieter. Diſput. d. Majeſt. theſ. 166. & ſeq.* Ita Antonin. Philoſophus, ne Commodum negligeret, prohibitus fuit *Bodin. 1. fol. 30.* Et quòd de filio Pertinax dicebat; Si meruerit: *Capitol.* libertatem ſapit Electionis, quam ille Senatui aufferre nolebat.

25. Sæpiùs autem non hîc irrita cenſentur Teſtamenta, quæ Jus Civile, tanquàm non ritè facta infirmat. Quandoque morientes vel deſperantes de Vitâ, Symbolo ſaltem aliquo, Succeſſorem deſignaverunt. Sic Auguſt. XI. ſuo Conſulatu, ægrotans, Agrippæ annulum dedit. *Dion. hiſt. libr. 53.* Sic heredem indicavit Antoninus Pius, cùm Fortunam auream, quæ in cubiculo Principum poni ſolebat, ad Marcum Aurelium transferre juberet. *Capitolin. in Pio.*

26. Hocque eſt, quod docent Interpretes Juris: Principem ad nullum omninò Juris Civilis ſollemnitatem, dum ultimum ſuum arbitrium prodit, adſtringi. *Frid. Pruckman. in §. ſoluta poteſtas. cap. 4. fol. 641. &c.* Quia nempè Princeps, à ſollemnitatibus Juris, quarum omiſſio cuiquàm tertio non nocet, uſquequaque eſt liber, & in iis ſolutâ prorsùs fruitur poteſtate, *ut jam docuit Dn. Præſ. Diſput. 2. θ. 34. Claſſ. 1.* Idque etiam ad Principes extendunt Regalia habentes: Superiorem quamvis recognoſcant, *vid. Dn. Præſid. Diſput. at. Nomicopolit. libr. 1. diſſert. 2. num. 9. & hûc conferunt quæ tradit Ludov. Rodolphinus tract. at. d. plenit. poteſt. cap. 2. adde Hartman. Piſtor. libr. 3. quæſt. 9.*

27. At verò, quoties lex vel conſuetudo Regnum defert; non poteſt pater exheredem filium facere, præteritâve domo ſuâ, alium ſcribere hæredem: irritumque cenſetur teſtamentum, quatenus in Regno legitimo, de Regno, Regnive adminiſtratione diſpoſuerit Princeps. *Cabot. lib. 1. Diſput. cap. 14.*

Tiraquellus de primogen. quæst. 21. & facit Deut. cap. 21. v. 15. l. 3. d. interd. & relegat.

Commodum nempe Succeſſionis, non defuncti beneficio, ſed ſanguinis, generiſque ac familiæ intuitu habet. *Tiraquell. d. Primogenit. quæſt. 35.* Cumque id heredi, ſanguine proximo, à Lege vel conſuetudine, in ſolidum ſit conceſſum; illud propterea, tanquàm Jus quod vocant formatum & proprium, ipſi à nemine aufferri poteſt. Hoc reſpectu Johan. Anton. Viperanus, *in Hiſtoriâ de obtentâ Portugall.* ſub perſonâ Legatorum Philippi, ſcribit: In Regnum, non morientis teſtamento, ſed propinquitatis jure ſuccedi. Regnum enim ei, quem unum ex omnibus delectum Civitatis Principem & Reipubl. moderatorem conſtituerunt, ad tollenda civium diſſidia, quæ in novâ Regis creatione ex dominandi libidine ſemper enaſcerentur, hâc conditione à Populo delatum; ut in demortui Regis locum, qui propinquitatis vinculis illi conjunctiſſimus eſſet, ex legitimis natus nuptiis, ſuccederet. Proinde Regnum non eſſe demortui, ſed generis hæreditatem, eandemque individuam, ac jure ſanguinis adeundam: quæ non ad eum, quem Rex moriens voluerit; ſed quem illi ſanguinis cognatione proximum Natura fecerit, venit, &c. Nec abſurdum eſt alicui adimere Teſtandi facultatem: cùm apud Lacedæmonios olim, Teſtamenti factio omninò fuerit adempta. *Plutarch. in Agid. & Cleomen. numero 2.* Eduardus Angliæ Rex, graviſſimis de cauſis exheredavit ſorores, inſtitutâ Johannâ Suffolciâ Regni herde. *Sleidan. libr. 25.* Verùm cùm id Populo, Nobilitatique diſpliceret, Maria ſoror adiit hereditatem: miſeræ verò Johannæ jugulum fregit, Regiam non repudiâſſe Succeſſionem. *vid. Thuan. libr. 9. folio mihi 954. & hiſtor. de la vita & morte, de l' illuſtriſſ. Signora, Giovanna Graja.*

28. Et portò diſpoſitioni, in præjudicium legitimi Succeſſoris, haud robur accedere poteſt, ab authoritate Senatus ſive Ordinum Regni. Pariter ut nec ordinatio de Feudo, etiam Domino annuente facta, filiis vel agnatis præjudicat. *Roſenthal. 7. de feud. concluſ. 4. Menoch. conſil. 161. num. 1. vol. 2.* (niſi ſcil. fuerit Feudum novum. *Arumæus, Diſputat. Feud. 6. θ. 5.*)

Et

Et inde Caroli VI. Galliarum Regis filius unicus, à Patre, Regniq́ue consilio, Successione indignus judicatus, ad Mucronem gladii sui solemniter provocavit; hancq́ue provocationem, authore Deo, & Duce puellâ quâdam Lotharingâ famosissimâ (Johannâ Darc) felici exercuit successu. *Girard hist. de France. libr. 21. fol. 716. Dn. Præses, Disputat. Nomicopolit. lib. 1. diss. 2. numer. 14. Adde nuperum Johannis Hordal tractatum singularem, Pontimussi editum; quo dictæ puellæ innocentiam (ab Anglis etenim ea Rotomagi ignis supplicio affecta fuit) à calumniis vindicare conatur.*

29. Neque metus aliquis licet subsit, ne mortuo Principe, de Regno controversia suboriatur; eam dum vivit, definire potest Princeps: qui successoriâ nempe obstante lege, de Regno (tanquàm bono, ut loquuntur JCti, affecto) non ullum disponendi Jus habet. Quâ ratione, cùm Henricus ultimus Lusitaniæ Rex, & gubernatores, & insuper aliquot judices nominasset: illi ut eo vitam ponente imperarent; hi verò sententiam ut ferrent in causâ successionis, ipse si fortè lite pendente moreretur: nullatenus Henrici Jurisdictionem agnoscere voluit Hispaniæ Rex Philippus. Idq́ue pro insigni errore habebant Hispani: quippe quòd Rex ignoraret, Potestatem Regiam unâ exspirare cum vitâ. *Conestagius de Portugal. conjunct. cum Regno Castell. libr. 3.*

30. Verumenimverò, quamvis nec ex magnâ ingratitudinis causâ, filius, vel proximus heres, eo privari possit Regno, Jure hereditario quod non defertur: eâdem ferè ratione, quâ toties exheredationem in feudis non nocere filio dicunt, quoties illud sine hereditate patris assequi potest. *post Clarum, Borcholt. de Feudis. cap. 7. num. 21. Zasius part. 8. num. 8.* Nihilominus tamen, non prohibitum est Principi, ex lege Successorem, qui mente captus, prodigus, vel aliter ad imperandum non idoneus est, à Successione removere, & quem Deus extollit (Ordinibus non invitis) præferre. *Tiraquell. de primogenit.*

genit. quæst. 21. num. 10. 11. & ult. Vasquius d. test. potent. §. 6. num. 18. Molinæus consuet. Paris. §. 13. gloss. 3. num. 12. Rosenth. d. feud. cap. 7. concl. 28. n. 10.

Lex quippe vel consuetudo Successionis, non est contra Regni commodum interpretanda : pro cujus utilitate salubriter ab initio fuit introducta. *arg. l. 25. de Legib. cap. quod favore. d. Reg. Iur. in 6.* Publica etiam salus exigit interdum ; ut Divinâ Providentiâ suffragante, Regnum nanciscatur, cui aliàs Jus Successionis minus favet. Hocque intuitu, sed infelici eventu, Eduardus Angliæ Rex, sorores exheredes scripsit ; & Johannæ Grajæ Regnum reliquit. *ut jam supra dixi. thes. 28.* (2) Hûc pertinet, quod scribit Amadæus à Ponte, *in Responso, pro Saubaudiæ Duce, in materia Successionis Regni Portugall. sub num. 55. &c.* Inspiciendum est, inquit, potissimùm in hâc deliberatione, quod magis expediat Regno. Hinc est, quòd aliàs mortuo Ferdinando, Portugalliæ Rege, nullis superstitibus filiis masculis ex legitimo matrimonio de stirpe Regali ; prætulit Lusitanus Populus Johannem naturalem, Beatrici fœminæ, propter ejus singulares dotes ; & ne Regnum Portugalliæ subjiceretur alteri Regno. Iisdem quoque rationibus (quicquid de Jure statuendum esset) concludunt Doctores ; Regem Robertum Regis defuncti secundò genitum filium, fuisse prælatum in successione Regni Siciliæ, Regi Ungariæ, Nepoti ex filio primogenito : videlicet propter publicam Regni utilitatem, & immensam Regis Roberti sapientiam, &c.

31. Notandum hîc venit, si quis Successione privari mereatur, non ideo similiter ejus heredem legitimum, pro indigno reputari : *l. 7. de his qui sui vel alien. Juris. & ibi Petr. Costalius.* cùm quæ non à Patre, sed à genere alicui tribuuntur ; ea facto antecessoris alicui adimi haud queant. *l. 3. d. interd. & relegat. Joan. d. terra Rubea tract. 1. artic. 1. conclus. 23.* Idque in Spartanâ Republicâ, aliquot exemplis Cragius evincit. *2. d. Republ. Lacedæmon. fol. 56.* Quod & in renunciatione locum habere dicit Ludov. Molina. *d. Majoratu, tract. 2, Disputat. 624. fol. 175.*

Hæc

Hæc tamen, controversiâ carere non videntur. Quemadmodùm etiam ferè omni in casu, delictum Vasalli, Feudo privat ipsius descendentes. *vid. Theodor. Petreium, conclus. criminal. thes. 235. Vbi cumulatim alios laudat.* (2) Sic & Renunciatio Patris, indubitatè nocet filiis pòst natis: per rationes quas assignat Hartman. Pistor. *lib. 2. quæst. 7. n. 42. &c.*

32. *Ascendentium successio*, non secus ac in Feudis, angustis hîc finibus circumscribi posse videtur: rarenter quia fieri solet, ut Regnum à Filio ad Patrem vel avum perducatur. Cæterùm Filio, Principatus si fortè obvenit, quem Pater priùs, aut alii ex Majoribus habuerunt; ipsi ex vitâ sine prole decedenti, Ascendentes de integro succedunt. Quod idem observatur in Feudo, si defunctus à Patre suo, per refutationem aut venditionem illud acquisivit. *Arumæus Disputat. Feud. 6. thes. 10. & seq.*

Sanè viduæ Matres, Liberis in Regnis à Paterna linea profectis, nullo modo succedunt: idque Juri Divino consonum videtur; quod prohibet hereditatem transire de tribu in tribum. *Numer. ult. v. 7. &c.* Sicque in statutis familiaribus Ortenburgensium Comitum, Mater excluditur à filii Successione; eique 1200. tantùm floreni, legitimæ nomine assignantur.

33. At verò tam in Legitimo, quàm (non aliter disponente Patre) in Hereditario Regno, Jure gentium ita est comparatum; ut ex pluribus filiis, Regnum *Primogenito* cedat. *Peregrinus de jure fisci. libr. 1. c. qui jura fiscalia habent. num. 48. Guilhelm. Ranchin. tract. d. success. ab intestat. §. 10. num. 1. Dn. D. Harpprecht. ad tit. Instit. d. Success ab intestat. in pr. nu. 102. Hieron. Treutl. vol. 1. Disput. 19. th. ult.*

Hoc etenim postulat ordo, non tantùm Naturæ atque Divinæ Legis, sed & omnium ubique gentium usus observat. Et sanè olim, tam apud Ægyptios, Moabitas, Albanos, Græcos, Athenienses, Macedones, Trojanos, Persas, Numidas, quàm Germanos, omnesque gentes consuetudo fuit, atque hodie adhuc est, & ea quidem à Jure approbata; ut in his quæ sunt dignitatis, primogenitus cæteris præferatur: *uti videre est ex exemplis, quæ alle-*

allegant P. Greg. 7. d. Republ. 5. Bodin. 6. d. Republ. 5. Tiraquell. in præfat. d. Iure primog. num. 22. &c. Lancellott. Conrad. in Templo omn. Iudic. 1. cap. 2. §. 1. fol. 473. & 483. Arnisæ. 2. relect. cap. 2. sect. 8. per tot. Quamvis primogenitos, magis quàm cæteros degenerare censeat Richterus. *axiom. Oeconom. 54.* Quin etiam Indos, tam ad Orientem, quàm Occidentem positos; tametsi penè ab omnibus humanitatis artibus remotissimi sint, eodem tamen jure usos esse comperimus. Licet in Mexico, non filiis, sed Fratribus pertineat Regnum. *Levin. Apollon. Histor. rer. Peruin. libr. 1. folio 36. b.* (2) Distinguenda verò est Primogenitura, à Majoratu ita specialissimè dicto. In illâ, fundamentum est primogenitura; inibique rectissimè dicunt, eundem esse seniorem, proximiorem & primogenitum. In Majoratu contrà, prærogativa ætatis est fundamentum: & ille ad Successionem vocatur, qui in familiâ post mortem possessoris major natu reperitur. Arnold. Engelbrecht / *disquis. d. Iurisd. Imper. thes. 141. lit. c.* (3) Interdum verò exempla reperiuntur, ubi Primogeniti juri suo renunciârunt. *vid. Iohan.* Lauterbach / *in Principe Christiano. cap. ult. num. 128.*

34. Primogenitus quis sit, non est quòd anxiè scrutemur; cùm Verbi indicet etymon eum esse, qui primus est in ordine nascendi. Adeò, ut si duo simul edantur partu uno, eodemque, is qui primus ex utero prodiit in lucem; quamvis momento temporis alter eum fuerit sequutus, prioris ætatis nihilominus jure gaudet. *Genes. 25. v. 26. & 33.*

Sanè censetur major natu in re propositâ, etiam qui mortuâ matre, ventre scisso, in lucem editus est vivus. Qualem nascendi sortem habuisse ait Ludovicus Molina, *Disput. 624. fol. 163.* Ferdin. Albanum, strenuissimum illum Belli Ducem. Cæsares, vel Cæsones vocant, & etiam Ingenitos nonnulli. *Goldast. in not. ad auctores rer. Aleman. tom. 1. part. 1. fol. 204.* (2) Sed & ventri, id est posthumo Regis, qui adhuc in Matris suæ utero est, Regius honos habetur. Et sic apud Persas, Sapor, Patre mortuo, cùm Matris utero adhuc gestaretur, Rex appellatus fuit: ac propterea Cidarim, seu Tiaram, ventri Reginæ imposuerunt, & vix dum conceptum Regem pronunciarunt. *vid. Dion. Gothofred. de Tutel. Testam. Electorali. libr. 6. replicat. 40. fol. mihi 288.*

Fieri

35. Fieri per rerum Naturam non poteſt, ut duo ſimul, pluresve, veniant in hanc lucem: *l. Areſcuſa. d. ſtat. hom.* & igitur ſemper poterit eſſe notum, quis nam ex duobus gemellis primogenitus exiſtat. Quid autem, ſi in ipsâ nativitate, vel pòſt, incuriâ matris id incurioſiùs fuerit obſervatum? Quippè ſunt nonnunquàm *(ut Plaut. in Mœnechm. ait,)*

Adeò formâ ſimili pueri, ut mater ſua
Non internoſſe poſſit, quæ mammam dat.

Ad Apollinis olim oraculum Lacedæmonii confugerunt, cùm Ariſtodemi uxor geminos peperiſſet, nec primogenitum dignoſcere poſſet, vel non vellet. *Ex Herodoto Nicol. Cragius d. Republ. Lacedæm. libr. 2. fol. 53.* Egò eorum ſententiam magis probarem, qui ſorte rem dirimi volunt. *vid. Hieron. de Cævallos. opin. commun. contra com. quæſt. 248. Lud. Molinam. d. Majoratu. Diſput. 624. fol. mihi 164. &c. Dan. Moller. 2. ſemeſtr. cap. 29.*

36. Cùm more gentium, Jureque πρωτοτοκείας, Primogenitus Patri ſuccedit, tunc heres ipſe Imperii ſolus, fratres cæteros excludit. Indeque dicunt interpretes juris; Primogeniti Legitimam, totum eſſe Regnum. Ita ut etiam ad ſolum Primogenitum pertinere dicantur res mobiles, theſauri, Bombardæ; & quæcunque publicam ad Provinciæ utilitatem ſunt deſtinata: tanquàm Inſtrumenta & pars fundi. *quod multis rationibus oſtendit Dn. D. Bocerus. tract. d. Succeſſ. Feudi, cap. 3. quæſt. 49. &c. uſque ad fin. capitis.*

37. Porrò cùm Regna vel Principatus, aliorum territoriorum acceſſione, quandoque accipiant incrementa; & omnia pariter a d natu majorem ſpectabunt *(quamvis Nicol. Betſius tract. d. pact. famil. illuſtrium, diſſentire videatur. cap. ult. fol. 679.)* Dummodo illa bona, acquiſita per Principes vel Reges, Regno, & Regiæ Coronæ unita; vel etiam viribus Regni ſint acquiſita. *Bartol. in l. ſi convenerit. §. ſi nuda. d. pignorat. actione.*

Sicque Ferdinandus Arragoniæ Rex prætendit, Regnum Neapolitanum, opibus Arragonici Imperii partum, ad id pertinere: nec ab Alphonso Spuriis suis relinqui potuisse. *Thesoro Politico. part. 1. fol. mihi 82.* Sanè res unita, sapit naturam & conditionem rei cui unitur, ejusque privilegia & consuetudines assumit: & augmentum quod fit alicui rei, sortitur eandem naturam, quam habet res cui id est adjectum. Sic & mixtum sequitur simplicium naturam, & connexa judicantur sicut ea ex quibus connectuntur. Inde nonnulli haut improbabiliter concludunt: bona allodialia quæquæ successioni insunt, ad primogenitum pertinere. etsi privilegium primogenituræ tantùm de Feudalibus loqui videatur. *Defensio Discursus utcunque Iuridici, in caussa Iuliacensi. fol. 47. &c. & fol. 76.*

38. Ut autem, Juris privati contra æquitatem (æqualitatem quod inter Liberos servat) Jure Regni, non pares in gradu succedant omnes; multiplex ratio exigere videtur: est namque alia ratio Successionis Publicæ, ac privatæ. *Arnisæ. relect. polit. 2. cap. 2. sect. 7. num. 6. & seqq.* Sanè monstro simile esse scribit Afflictus; *ad §. præterea Ducatus. sectio. 2. num. 5. de prohibit. â Feudi alienat.* Unius si Regni plures heredes forent. Thronus quia sui naturâ, non patitur in solio plures; Monarchicusque deperit status, & Respubl. in aliam speciem transmutatur, Majestas quando communicatur. *Arnold. Clapmar. 2. d. Arcan. Rerumpubl. cap. 22.* Ideoque nec ii audiendi esse videntur, qui proventus æqualiter inter singulos distribuendos; administrandi verò potentiam, omnibus conjunctim relinquendam esse putant. *Arnisæ. relect. polit. 2. cap. 2. sect. 7. num. 80. &c.*

Non etiam est è re Subditorum, ut duobus Dominis obedire cogantur. Et hinc, cùm Crœsus in consortium Imperii assumpsisset fratrem, tum quidam ex Lydis accedens dixit: Omnium in terrâ bonorum ô Rex, author est Sol, nec quicquàm extaret in terra, Sole non illustrante. At si gemini Soles forent, periculum immineret, ne mox conflagrarent omnia. Ita & Regem unum quidem accipiunt Lydi, & servatorem esse credunt: duos verò simul tolerare nequeunt. *Stobæus serm. 45.* (2) Portio.

tionibus autem si inter plures fratres dividatur, infirmius multò futurum est Regnum, magnitudine quod subsistit & potentiâ. Ac si tot Regna fierent separata, singularesque Respublicæ, quot filii extant, eaque rursus pro numero nepotum & pronepotum distraherentur in portiones; infinita fieret partitio: cùm Imperii, tum & Subditorum cum detrimento gravissimo. *Arnisæus. d. cap. 2. section. 7. numer. 14. &c. item numer. 28. &c.* Laudabiliter profectò majores nostri, ut Tacitus refert, *d. morib. German.* omnia prædia, prædiatoriaque jura, uni deferebant: reliquis cum pecuniolâ abire jussis. id quod adhuc obtinet in quàm plurimis Regnis: ejusque vestigia conspicimus apud nostrates; in den Höffen / die Giltbar seind / darinn gemeiniglich der Jüngst die Vorsitz Gerechtsami hat. Welche Gütter man nicht so leichtlich solte vertheilen lassen.

39. At cùm Odia fratrum turpissima: *Richter. axiom. histor.* 223. & nunquàm ferè Consiliarii mali desint, qui odia fratrum satagant inflammare. (la plus part des enfans des Rois, n'ont jamais faute de mauvais Conseillers, qui les animent les uns contre les autres. *Girard. libr. 1. fol. mihi 142. & seq.*) Econtrà nihil optabiliùs, Reique publicæ magis salutare inveniatur, quàm concordia fratrum, Regis defuncti filiorum. *Guazzus d. Civil conversat. fol. mihi 572. Sallustius in Jugurth.* Et tunc Rempublicam juvet, Principi plures filios esse. *Jeh. de Marnix. sect. 5. resolut. 4.* Quod elegantissimis hisce versibus Ariosto expressit, *cant. 3.*

Il grande amor di questa bella coppia,
Renderà il popol suo via più sicuro;
Che se per opra di Vulcan di doppia
Cinta di ferro haveße intorno il muro.

Quâ ergò ratione minoribus fratribus erit prospiciendum? ut firma, in hâc inæqualitate, ipsis cum Primogenito amicitia constet. Non enim placere ulli homini potest, quod Barbari olim, & hodie etiam Turcæ observant: apud quos ferè semper primum novi Principatus facinus est, cædes Fratrum. Diabolica est opinio eorum qui dicunt: Quòd, ut Calx ædifi-

cia compaginat, quæ aliter consistere nequîrent: sic sanguis omnium qui Dominationi obstare queunt, consolidet novi Principis dominationem. *Arnisæ. 2. relect. cap. 2. sect. 9. àpr. Annibal. Scotus in notis ad Tacitum fol.* 14. vid. tamen Cardanum, *in Encom. Neronis. fol. mihi 196.* qui hanc crudelitatem approbare videtur, *adde Estien. Pasquier. 5. des recherch. cap. 1. Amirato. 1. discurs. 6.*

Abyssini atque Chinenses, ut hoc incommodi effugiant, nec tamen Regna divellant, Regios filios (primogenito excepto) monti, aut castris includunt. *vid. Arnisæ. 2. relect. cap. 2. sect. 9. num. 10. &c.*

40. Ferè liberis natu minoribus, vel annuæ pensitationes, vel portio quædam Regni assignatur certa: quam non Regio teneant nomine, verùm alio titulo; eaque Lege, ut Primogenito obligati sint ad Hominium fidelitatemque præstandam; & ut ipsis sine liberis masculis decedentibus, ad Regnum illa portio denuò revertatur. *Ranchinus. d. §. 10. num. 2. 3. & 4. Franciscus. Hotoman. in Franco-Gall. cap. 8. & 9. vid. Arnisæ. 2. cap. 2. sect. 9. numer. 28. & seqq. qui tamen sect. 7. num. 86. dissentire videtur.* Et ita Josophat, reliquis filiis, annuas dedit pensiones, Civitates, & multa munera auri atque argenti, ex quibus regiè viverent: Regnum autem Joramo, filio natu majori. 2. *Chronic.* 21. *v. 3.* Sic Cyrus apud Xenophontem, res suas eo modo ordinavit; ut Cambyses Regnum, qui reliquus erat frater, minutiora nonnulla bona retineret.

Alimentariæ hæ portiones, æstimantur ex dignitate personæ, & secundum facultates; ex boni viri arbitratu. *Arnisæ. 2. c. 2. sect. 9. num. 27. &c.* Portionem, Minoribus fratribus quæ datur, in Galliis *Appennage* appellant (quasi ad Panem, regiamque sustentationem data. *Aliter Althus. polit. cap. 19. num. 83.)* & omni caret superiori Jurisdictione: nec alio ferè jure possidetur, quàm apud Germanos, Viduæ Principes Dotalitia sua. *Bodin. 6. cap. 5. num. 734. Girard. de l' estat de France. fol. 538. Choppin. de Doman. 2. tit. 5. &c.* Hicque mos, apud ipsos Filios ætate minores, ita Sacrosanctus habetur; ut cùm Henricus Caroli IX. frater, in com-

commentariis Colinii caput reperiret, quo Regem monebat, ut in assignandâ fratrum portione hereditariâ, & conciliandâ illis authoritate moderatior esset; non eò Colinium minùs sibi amicum fuisse collegerit: quin imò apertè fassus sit, consilium illud, non nisi ab homine Regi fido, & rerum ipsius studiosissimo proficisci potuisse. *Thuanus libr. 52. ad finem.* (2) Prudentes quoque Principes, Liberis suis minoribus natu, de patrimonio extra Regnum, prospicere solent. *vid. Memoir. d. du Bellay. libr. 6. fol. mihi 559.* Quæ enim extra ambitum Imperii sunt, faciliùs fratribus assignari debent. Et duo Regna non unita, haut perveniunt ad unum. Pariter ut in Hispania duo Majoratus, non uniti cedunt. *Lud. Molina, d. Major. tract. 2. Disput. 624. num. 9.* Extremas verò Imperii oras, tutum nõ esse committere fratribus, Arnisæus ait, *2. relect. cap. 2. sect. 9. num. 35.* Et pro arcano contra Fratres & Agnatos venditat Bodinus, *d. Republ. fol. 153.* ut Magistratus summi, haut facilè ipsis concedantur. quod nihil aliud esse mihi videtur, quàm ex cognatis facere hostes. (3) Quæstio nobilis est; An in Apannagio locus sit Primogenituræ: seu an æquè ut in Regno, portio fratri minori data, perveniat ad ejusdem filium natum majorem; num verò æqualiter sit dividenda? quod postremum Rosenthalio placuit, *in consil. pro Augusto Iuniore, Brunsvic. & Lunæburg. Duce.* Alia est quæstio non minus controversa, an Primogeniti lineâ extinctâ, ejusque jure ad secundogenitam transeunte; Bona quæ secundo genito, Appannagii loco sunt data, ad tertiogeniti posteros debeant pervenire. quâ de re tractatus extat singul. Guil. de Monserrato. *tractatui tractatuum insertus.*

41. Inter *Germaniæ Principes*, quamvis Jus Primogenituræ, locum neutiquàm tueri, multis probare nitatur Andreas Knichen, *tract. d. Saxon. non provocandi jure. ad verb. Ducum. cap. 3. per tot.* Wesenbec. *consil. 151.* cùm utpote uniformi dignitatis gradu, & notâ sint investiti. Imperii tamen Creatorum dignitas, ex Caroli IV. Lege, divisionem respuit. Ut & hoc itidem in Sabaudiâ, Lotharingiâ, Cliviâ, Bavariâ, Würtembergiâ, Ducatuque Brunovicensi, Ditionis Wolfenbytelicæ, introductum proditur: ibique genituræ secundum

dum ordinem, uni ſoli cedit Principatus. *vid. Dn. Præſid. Diſputat. Nomicopol. libr. 1. diſſert. 6. num. 9. & ſeqq. addatur Arniſæ. relect. 2. cap. 2. ſect. 7. num. 35. &c. Ant. Coler. Diſput. d. Statu Imp. Rom. θ. 61.*

In Cliviâ, Juliacenſique Ducatu, Jus Primogenituræ non eſſe; Auctor Diſcurſus verè Juridici probare conatur: qui tamen in aſſertione Diſcurſus uteunque Juridici, ſufficienter, doctèque refutatur.

42. Et ejuſmodi ſi Feuda, inſeparata relinquerentur omnia generatim, ex re & dignitate Imperii magis fore; partitioni que ſubmotionem, meliùs rectiùs, excelſæ ſplendidæque gentis tuituram decus, monet Gail. *2. obſervat. 53. num. 2. & nervosè Dn. D. Bocer. 3. d. ſucceſſ. quæſt. 48. 50. &c. Eberhart à Weihe, tract. de Succeſſ. prærog. g. 7. fac. 2.* Hocque reformatæ maxumè Religionis aſſeclæ, ut ad animum revocent Principes, commodum videtur: quibus nempè ampliſſimis Eccleſiaſticarum dignitatum gradibus, liberis ſuis proſpiciendi occaſio deeſt, eorumque inde territoria, frequentioribus diviſionibus obnoxia exiſtunt.

Notanter auctor Theſauri polit. *part. 1. relat. di Franc. fol. mihi 181.* in ſequentia ſcribit: Queſto è coſtume ordinario in Francia, non ſolamente nella Corona, ma in tutte le caſe grandi; che il Primogenito heredita ogni coſa; & gli altri hanno ſolamente tanto, che li baſta per vivere, ſeconda la qualità ſua: il che conſerva la grandezza delli Stati, & richezza delle caſe; che dividendoſi per teſta, come ſe uſa in Germania, verriano preſto in niente. (2) Primogenitum in Regali Feudo ſuccedere ſolum, luculenter demonſtrat Arniſæus: *2. relect. cap. 2. ſect. 7. num. 62. & multis ſeqq.* ubi Nicol. Betſium ex profeſſo refutat. *adde Petr. Ant. de Petra, tract. d. poteſt. Princ. cap. 18. vid. etiam Weſenbec. conſil. 32.* (3) Imperatorem facere poſſe Primogenituram in Imperii Feudis, etiam in præjudicium Filiorum natu minorum; ſcribit Lancellott. Conr. *1. cap. 1. §. 4. fol. 414. in Templo Iudic. adde Weſembec. conſil. 15.* (4) Quomodo verò in Principatibus obnoxiis diviſioni, ea ſit facienda, vid Rod. Forner. *5. rer. quotid. cap. 22.* addatur Rauchbar *1. quæſtion. 40. 41. 42.* An jus eligendi

gendi, minori adimere possit parens, docet Modest. Pistor. *part. 1. quæst. 16.* De minore eligente, plura habet Arnisæus, *2. cap. 2. section. 8. num. 78.*

43. Sanè Ecclesiastica Collegia, in quæ non nisi Illustres & Nobiles recipiuntur (**die Hohe Stifft** vulgò indigata eo) maxumè fine instituta, luculenterque dotata olim fuisse apparet; ut Familiæ Generosæ, numerosâ prole abundantes, receptum habeant, cui tutò & commodè liberos committere queant: ne paternæ hereditati omnes incumbant. **Stumpf.** *lib. 6. Histor. Helvet. fol. 165. fac. 2.* Indeque non injustè Anno 66. Augustæ, Anno 75. Ratisbonæ, in conventu Electorum, & sequenti Anno, in publicis Comitiis, Comites & Barones in Rhenano tractu, Franconiâ, aliisque locis Augustanæ Confessioni addictis, obnixè petiêrunt; ut ipsis pariter ad Canonicalia ejusmodi beneficia, via sterneretur: quorum scripta collegit Francisc. Buckhard. 1. **von der Freystellung.** *cap. 3.*

Le vray hospital de la Noblesse, c'est le temporel du Clergè; par le moyen duquel, les enfans que vous consacrez & dediez à l'Eglise sont entretenuz & elevez. &c. *libr. 3. du Secret des Finances. fol. 424.* Sanè Nobiles hanc propter caussam ita defenduntbona temporalia Ecclesiasticorum. *vid. quæ scribit* **Hartmut von Cronenburg/in der Vermahnung an alle Ständ.** *A. ult. b.*

44. Ubi autem ætatis Privilegio, maximus natu sibi Regnum vendicat; Primogenitus à nondum Rege procreatus, etiam nato post adeptum Regnum, regulariter præfertur. *Corasius ad l. 5. ff. d. Senator. Dn. D. Harppr. ad tit. Instit. d. Success. ab intest. in princip. numer. 106. &c. Lipsius Monit polit. 2. cap. 4. monito 2. exempl. 1. & 2. Guil. Val. Forster. Disputat. ad Instit. 2. θ. 7. Hackelman. illustr. 1. θ. 23. noviss. optimeq; Arnisæ. 2. cap. 2. sect. 11. per tot.*

Ulpianus *in l. 5. d. Senator.* Nihil interest, inquit, jam in Senatoriâ dignitate constitutus susceperit filium, nec nè; an ante dignitatem. quod idem *in l. 2. §. 2. d. Decurion.* respondet Jurisconsultus. *consentit l. 9. §. 14. d. pœnis.* His obstare videtur *l. 11. Cod. d. dignit. lib. 12. l. fin. §. viri. C. d. decurion.* Varii varias adferunt con-

ciliationes. *vid. Iul. Pacium centur. 1. quæst. 39. Duaren. 2. Disputat. cap. 29. Cujacium. ad d. l. 11. & ad d. l. fin. Iac. Curtii, conject. tom. 2. lib. 2. cap. 20.* (2) Attamen filius plebei, natus antequàm pater per Principem Nobilitetur, haud Nobilis efficitur, nisi ipsi etiam dativa nobilitas conferatur expressè. *Molinæ. ad consuet. Paris. §. 13. gloss. 1. ad fin. Costal. ad. l. 5. de Senator. Dd. ad l. ult. C. d. decur. lib. 10. Covarruv. variar. resolut. 2. cap. 8. n. 5.*

45. Ut & Primogenito, vivente ad huc dum patre defuncto; nepos filio potior est secundogenito. *Chassanæ d. gloria mund. part. 5. consid. 42. Dn. D. Bocer. 3. d. Feud. success. quæst. 49. Dn. D. Harpprecht. ad tit. Inst. d. Success. in princ. num 74. &c. Ranchin. de Success. ab Intest. §. 10. numer. 8. & multis seqq. Knichen tract. de Sax. non provoc. privil. ad verba Electorum. cap. 3. per tot. Lipsius monit. politic. lib. 2. cap. 4. num. 2. & 3. præclarè Arnisæus 2. cap. 2. sect. 10. per tot.*

Ferè apud omnes Nationes, caussam Nepotis, semper fuisse potiorem quàm Patrui, ex Molina refert alter Molina. *Disputat. 625. fol. mihi 198.* Primogenitura enim dignitas est, quæ nunquàm intermoritur. neque jus hoc Primogenituræ, unius est personæ; sed ipsius Primogenituræ proprium. *Anton. d. Rosellis. tract. de Success. ab intest. num. 68.* Et idcircò nepos dicetur Primogenitus, sicuti & pater ipsius. Quemadmodùm filius primogenitus qui Regnum acquisivit, relinquit illud filio non fratri: ita spem firmam & radicatam, quæ ipsi à nemine aufferri potest, itidem ad eundem transmittit. Insuper Pater ac Filius, tantam in se habent affinitatem naturæ, & substantiæ unius participationem, ut pro eâdem ferè personâ habeantur: atque ita utetur Patris privilegio; cùm nascatur ex radice privilegiatâ, & quæ cæteris præferebatur, quia forma & origo quæ ducitur à radice, in quolibet derivato reperitur. *l. 11. §. si filio. ad L. Falcid. videatur omninò Iac. à Saà, Eques Lusitanus, tract. d. primogenitura, per discursum.* (2) Exemplis etiam, seu judicatis firmare possumus nostram opinionem. Nam Angli Eduardo Regi, Richardum nepotem, ex Eduardo filio ejus primogenito, successerunt: post positis aliis tribus, ipsius Eduardi Regis filiis. *ut refert Polydor. in hist. Anglic.* Simili Judicio, tempore Caroli Pulchri, Regis Galliarum, Anno 1331. per Proceres Regni, Comes Niver-

nen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [204] - 198

nensis declaratus Flandriæ Comes, & Patruo prælatus fuit. *Paul. Æmil.* Idem & sub Othone Magno, deinde sub Henrico I. Impp. in Germaniâ contigisse; & Patruos à fratris filiis, duello superatos, legimus apud Witikindum. *libr. 2. hist.* Sed tamen & opinio contraria, urgentissimis rationibus defenditur, à Consiliario quodam Ducali, in Discursu exoterico, *tractatui Iac. à Saà, & Lud. Molinæ prafixo.* Adde Pasquier. 4. *des recherch. cap. 18.* qui Jus Repræsentationis, à Borcholten *tract. d. gradibus, fol. 179.* æquissimum indigitatum, Germanis priscis incognitum fuisse dicit, & exemplis probat.

46. Deficientibus Liberis, Fratres defuncti sunt Successores: *cap. 2. d. supplendâ negligentiâ Prælatorum. in 6.* nisi Regnum de novo, eâque conditione sit datum; ut ad descendentes tantummodò perveniret. Si verò nec Fratres supersint, Jus Agnationis in Regno Paterno; Proximitas in Imperio à Maternâ lineâ proveniente, erit inspicienda. Ita tamen, ut cùm primis ordo Linearum, quæ à stipite provenerunt, haud negligatur.

47. Tot enim promanant Protogoniæ, quot filios Rex aliquis relinquit: ex quibus prior linea donec durat, succedit, eâque absumptâ, vocatur secunda; ac ita reliquæ deinceps. *Peregrin. consil. d. success. Regia suffixo tr. d. jur. fisc. per totum. Hotoman. in Disput. d. controvers. inter patruum & fratris præmort. filium. Gerlac. Buxtorff. dissert. ad Aur. Bullam. §. 85. litera f.* Et sic masculo in primigeneâ lineâ deficiente, non propinquior superstes, ex tertiogeniti stirpe, surrogatur; sed ad eum defertur Regnum, in alterâ qui ejusdem gentis stirpe, gradu antecedit: licet uno atque altero geniculo remotior sit illo, qui supereſt ex tertiâ Lineâ.

Sunt tamen perquàm multi, qui in Successione Regni, & præsertim in lineâ Collaterali, nullam omninò Repræsentationem admittere volunt: *supra laudatus Auctor exoterici discursus folio 32. &c.* sed secundum ætatis & gradus prærogativam, omnia hìc dijudicanda esse contendunt. Modò dicti verò Exoterici discursus autorem esse dicit Ant. Coler Nobilis, eruditissi-

mumque M. H. cujus tela jus Winmarenſis lineæ contra Aldenburgenſes petere, & ſimul etiam impetitionem Sereniſſimę Electris Brandenburgiacæ, in Cliviâ Juliacenſique Ducatu proſternere videtur. *vid. Refutationem diſcurſus verè Iuridici, in cauſſa Iuliacenſi, fol. mihi 74.* Verùm Exotericum illum diſcurſum nuper refutavit Arnoldus Engelbrecht/*tract. ſingular.* Contrariam item noſtræ Theſi, amplectitur opinionem Lud. Molina, *Diſp. 627. 632. & ſeq.* conſentit Jac. Alemannus, *in Palæſtrâ Conſultat. conſult. 7.* Sic itidem reſpondit Academia quædam in Germaniâ Electoralis: cujus Reſponſum junctum eſt ad finem tractatuum Jac. à Saâ, & Lud. Molinæ *d. primogeniturâ.* & eam diſputando defendit. Ant. Coler. *theſ. 53. & ſeq.* Ego cum Matth. d'. Afflictis, *in lib. 3. Conſtit. Neapolit. tit. 24. num. 32. in fin.* de hâc ipsâ Repræſentationis materiâ agente, dico: Non eſt meum in præſentiarum determinare, ubi tanti Patres ſunt in diſcordiâ; ſed determinet Rex, qui poteſtatem habet determinandi dubia occurrentia Juriſtis. De jure Repræſentationis in Pactis Familiarum, diſputat Cævallos. *tom. 3. quæſt. 762.* In Succeſſione Feudali, ſi linea, ad quam Feudum pervenit, deficiat, an reliquæ lineæ æqualiter ſuccedant; an verò ſecundum gradus prærogativam? quæſtionem habet Hartman. Piſtor. *lib. 3. quæſt. 23.* (2) Quærit etiam Ludov. Molina. *Diſput. 633.* Si ultimus Regni poſſeſſor, ſine liberis, deſcendentibuſvé, & ſine Fratribus diſcedat, habens nepotem ex fratre prædefuncto, & Patruum; uter eorum perveniat ad Regnum? Nos pro filio fratris reſpondemus.

48. Quemadmodùm ex communi ſuffragio Feudiſtarum, Succeſſio in Feudis dignitatum, fieri debet uſque in infinitum. Ita adhuc magis Succeſſio Regnorum (quæ meri Juris gentium reputatur) de uno in alium, qui ſupereſt ex Regiâ ſtirpe, ultra centeſimum, & gradum etiam defertur remotiorem. *Dn. Præſes Diſſputat. Nomicopolit. libr. 1. diſſert. 8. numer. 6. &c.*

Quamvis jure communi, Feuda dignitatum perpetua ſint, & tranſmiſſibilia in infinitum: hoc tamen in Sileſiâ, deficiente ſimultaneâ inveſtiturâ, neutiquàm obſervari, notat Nicol. Henelius, *in Sileſiograph. cap. 6. fol. 69.* Ut & aliis omnibus in locis, ubi viget Jus ſimultaneæ inveſtituræ.

Ab

49. Ab Imperii excluduntur succeſſione, extra matrimoniali Venere procreati. *cap. 11. Judic. v. 4. Petr. Gregor. 7. de Republ. 8. Arniſæ. politic. cap. 9. fol. 238. & relect. 2. cap. 2. ſection. 13. (obſt. Novell. 74. cap. 1.)* Ita, ut quamvis Pontifex Maximus, etiam Regum Spurios ad ſucceſſionem habilitare præſumat (cujus rei exemplum habemus apud Froiſard. *tom. 1. cap. 230.)* Recepta tamen eſt etiam apud Hiſpanos theorica: Neminem ad Regna legitimari. *Coneſtag. d. conjunct. Portug. lib. 3. fol. 151.* In tantùm, ut nec Rex imperitans abſolutè, ſpurios ſuos ad Succeſſionem habiles facere queat. Non quidem, quaſi is Juriſdictionem in domeſticos exercere non poſſit; ut voluit Arniſæ. *d. cap. 2. ſect. 14. n. 4. fol. 470.* ſed quia id Legibus fundamentalibus repugnat, ut idem innuit. *numer. 28. & ſequenti.*

De materiâ hujus theſeos, latè tractant, qui in cauſsâ Succeſſionis Luſitanicæ, contra Anthonium Nothum, reſponderunt. Octavianus nempè Cacheranus. *n. 5. &c.* Amadæus à Ponte. *num. 11. &c.* Anton. Bagnaſacus. *num. 3. &c.* Alexand. Raudens. *num. 4. &c. num. 51. &c.* Michael ab Aguirre. *parte 4. ſui reſponſi.* Qui omnes de Naturalium Succeſſione, & Legitimatione, ex profeſſo, operoſeque diſquirunt. *addatur Arniſæ. d. cap. 2. ſect. 14.* Sanè Catharina Medicea, non ſolùm Anthonium tanquàm Nothum impugnabat; ſed & alios competitores omnes, tanquàm à Johanne I. (qui non legitimus erat) deſcendentes. At verò Regna bello parta, ad Spurios quoque, Patris voluntate tranſire poſſunt: & ita Alphonſus Arragoniæ & Siciliæ Regna, reliquit Johanni fratri (Ferdinandi Catholici qui pater erat) Neapoleos autem Imperium, pervenit ad Ferdinandum nothum. *Bembus, hiſt. Venet. 2.* (2) Circa Legitimationem porrò, de duobus quæri poteſt. (1) An etiam per matrimonium, in mortis articulo contractum, Filii Regii legitimentur? Negant id plerique Luſitanici, ſupra allegati Conſultores. Affirmat. *Arithmæ. peric. 2. Diſputat. d. Legitim. theſ. 2.* Leopold. Hackelm. 1. *illuſtr. theſ. 22. vid. l. 11. C. de natural. liber.* Sicque olim les Barcelonnois, voyans que la fin de leur Prince Don Charles approchoit, & eſtoit prochaine, le prierent, qu'il eſpouſaſt la Cappa, ſa con-

cubine, de laquelle il avoit eu deux enfans: à fin, que par le mariage ſubſequent, ils demeuraſſent legitimes, & conſequement heretiers de ſes droicts. mais cela ne ſe fit point. *Hiſtoire de Navarre. fol. 485.* Ego jure amplio. In controverſiam venit (II) & hoc: Si matrimonium aliud intercedat, an Legitimatio per ſubſequens matrimonium facta, retrò trahatur: ita ut priùs durante concubinatu procreati, ſed poſtea legitimi facti; medio tempore inculpatè omninò natis, in Jure Primogenituræ præferantur? Quod negarem, cum Jac. Concenatio, *2. quæſt. 11. & Dn. Præſide, Diſput. Nomicopolit. lib. 1. diſſert. 9. num. 9. vid. Arniſæ. relect. 2. cap. 2. ſect. 8. num. 47. fol. 286.* (3) Generatim à lubidinibus vagis, & quæ has ferè ſubſequi ſolent; ab inferioribus & dignitate, ſtatuque ſuo matrimoniis indignis, omninò abſtinere debent familiæ illuſtres. *arg. l. 1. C. d. Natural. liber. Novell. 89.*

Obliquo maculent ne ſanguine Regnum;

ut Lucanus alicubi canit. Sanè cõtra Regem Gallorum Henricum 4. periculoſam concitavit conjurationem, inconſiderata promiſſio facta Henriettæ de Balſac (quæ aliàs nominatur Marquiſe de Vernveil) Elle fut accuſée (ait le Mercure François, *folio 7. b.*) de ſe fantaſier, que pour quelque promeſſe à elle faicte, ainſi que font d' ordinaire les amoureux, pour jouyr de celles qui ſont credules; ſon fils, qui eſtoit illegitime, devoit eſtre preferé à Monſieur le Daulphin: ſans conſiderer, quæ le bien d' eſtat, diſpenſe toujours les Souverains, de telles promeſſes d' amour. *vid. Scip. Amirat. 5. Diſcurſ. 6.* Hûc pertinet memorabile exemplum, Erici Sueciæ Regis. *de quo vid. Orat. funebr. Iohan. 3. Suecor. Reg. habitam à Iacob. Typotio.* Spurii tamen Infames non eſſe videntur; contrà ac Arniſæ. ſentit: *d. ſect. 13. num. 16. &c. fol. 451.* multis ſpecioſiſſimis argumẽtis pro hâc ſententiâ propugnans. (4) Aliàs autem juſtus, veruſque filius eſt, quem Nuptiæ demonſtrant. *l. quia certa. ff. d. in jus voc.* adeò quidem, ut nec Matris contrariæ aſſertioni, filium ſpurium in actis profeſſæ, ſit ſtandum. *l. pen. §. mulier. d. probation.* Ut indè inexcuſabilis ſocordiæ, meritiſſimè arguatur, filius ille Regis; cujus Interpretes. *ad l. filium. 6. d. his qui ſui vel alien. jur.* meminerunt: qui nimiùm credulus, Regno ſe abdicavit, ſimul atque à matre ſibi fuit conditum, ſe Spurium eſſe. Quod tamen non ita eſt intelligendum;

ut

ut notoriè adulterini admittantur. *vid. Michael. Piccart. dec. 5. observat. politic. cap. 8.* ubi refertur exemplum Eliſabethæ Caſtilianæ; quæ præfata fuit filiæ Regis, habiti pro impotente. Infelix namque eſt Succeſſio adulterinorum. *Richter. axiom. Oeconom. 20.*

50. Etiam in legitimo Regno à Succeſſione excluditur Rex omninò ineptus. *Althuſ. polit. cap. 19. num. 85. Arniſæ. 2. relect. cap. 2. ſect. 8. num. 62. fol. 295. &c.* Quamvis ad id, niſi urgentiſſima adſit cauſſa, haut facilè ſit perveniendum. Etenim ii quoque, qui per ſe non ſunt valentes imperare: utiliores Reipublicæ eſſe videntur, quàm ſi novâ Electione cardines totius Reipublicæ permoveantur. *P. Gregor. Tholoſ. 7. d. Rep. cap. 6. Bodin. 6. d. Rep. 5 fol. 1141. & ſeq.*

Primogenitus ſi ſponte renuntiet ſuo juri, non videtur Liberis præjudicare niſi poſt natis: *vid. Molinam. d. Majorat. tract. 2. Diſputat. 624. numer. 7. Arniſæ. remiſſivè 2. cap. 2. ſection. 8. num. 65. folio 297.*

51. Quamvis nec Divinâ, nec Naturæ Lege, prohibitum eſſe videatur Imperium Fœminarum. *l. 12. §. 2. ff d. Judic. Cabotius, lib. 1. Diſpp. cap. 15. Tiraquell. d. primogen. quæſt. 10. Johan. Caſus Sphær. Civitat. 2. cap. 3. Everh. Bronchorſt, Miſcell. 1. aſſert. 81. Dominic. Arumæ. Diſput. Feud. 3. θ. 18. Hilliger. 17. cap. 24. lit. T. Arithmæ. peric. 1. Diſputat. 11. θ. 14. Canonhiero, dell. introduz. all. politic. 8. cap. 2.* Rationabilitas tamen Legum, Mulieres quæ à Regni ſucceſſione removent perpetuò, ex eo elucet; quòd ne in aliam familiam Regnum transferatur, néve aliquando contingat extraneo Principi Populum ſujici, in causâ ſunt. *Cabotius 1. Diſputat. cap. 15. & 16. Hotoman. Franco. Galliæ. cap. 10. Eſtienne Paſquier. des Recherches de la France, 2. cap. 14. Claude Fauchet. tract. d'Origines des dignites de la France. cap. 2. Bodin. 6. d. Republ. 5. Arniſæ. cap. 9. fol. 226. & relect. 2. cap. 2. ſect. 12. per tot.*

Variè pro, & contra Fœminas, hâc in parte diſputatur. Gallos Germanoſque, plurima maxumaque olim, de mulierum

rum consilio gessisse, ex Cæsare & Tacito constat. adeò, ut in fœdere cum Annibale icto, Gallis caveretur, ut si deliquisset Carthaginensis in Gallum, penes Magistratum esset ejus rei Judicium. Sin verò Gallus in Carthaginensem; cognitio penes Gallicas mulieres foret. *Coras. ad l. 1. ff. d. Senator. adde Richter. axiom. œconom. 239. 240. 241.* Vicissim, cùm Heliogabalus, præter mores & instituta Majorum perviciset; ut Semiamira mater, in ordinem Senatorium admitteretur: eo confosso, ante omnia caverunt Romani, ne mulier unquàm Senatum ingrederetur; utque ejus caput Inferis dicaretur, per quem id esset factum. *Lamprid. in Heliogab.* Virorum itidem & mulierum, quàm sit apud ipsum Deum nostrum, æstimatio diversa, ex cap. 27. Levit. patet. *(Aug. Callias, sylvâ Myster. 1. fol. 84.)*

Fœmina tricenis, decies mas quinque valebat
Numis, si votus quis redimendus erat.
Tu modo dispariles numos expendito: pondus
Lite feret positâ, fœmina, masq; suum.

Bart. etiam *in l. nam ad ea. ff. d. Legibus*: Propter bonas fœminas legem non fieri debere, dixit, quia sunt raræ: multò minus propter prudentes, quæ sunt rariores. Ac ἴρων est Aristophanes, qui alicubi mulieres Atticas inducit, urbanissimè disputantes; sibi, cùm rem familiarem optimè administrent, etiam Rempublicam gubernandam debere committi. His aliisque rationibus motus, non eorum approbare sententiam queo, qui putant; cessante lege prohibitivâ speciali, etiã ex genere regulariter succedere fœminas in Regno, proximiores si existant. sed Regulam potiùs contrariam firmarem: Nempè, haud unquàm Regiæ capaces eas esse Successionis; Consuetudo nisi illis, jus aliquod largiatur singulare. *Dn. Præs. Disput. Nomicopolit. libr. 1. dissert. 11. numer. 2. &c.* Licet hâc de re multa fuerint Bella mota. *Arnisæ. 2. cap. 2. sect. 4. num. 14. fol. 197.* Sanè si fœmina Successionis est capax (ut in multis locis fieri solet. *Arnisæ. d. sect. 12. num. 3. &c. folio 358. &c.)* non potest ea maritum sumere absq; Ordinum consensu. Imò cùm Poloni Sigismundo 3. Anno 1606. bellum moverent, inter alia vitio ipsi verterunt; quòd invitis Statibus, matrimonium cum Austriacâ contraxisset. *Mercure Franc. folio 109.* (2) Cùm primis autem Franco-Galli, à Fœminarum

extra-

extraneorumque Imperio abhorruerunt (ita ut nec in Apannagio eæ admittantur. *Theſoro Polit. 1. fol. m.182.*) quæ res, notiſſimæ illi Salicæ Legi prębuit originationem. Quam tamen fictitiam eſſe Angli prętendunt. *Arniſæ. 2. c. 2. ſect. 12. n. 48. &c. f. 374.* In cujus etymon hìc inquirere lubet; cùm de eo non conveniat inter eruditos. *vid. Hadrian. Iunium in Batavia. fol. 99. Camerar. 3. meditat. cap. 64.* Nobis arridet, ratione ſubjecti ita denominatam, quaſi Aulica Lex; quòd ſemper recepta fuerit in Regiâ Succeſſione, hæreditateque. (3) Cæterum Imperii Romano-Germanici Feuda, maſculina ſunt, & deficiente virili proſapiâ, ad Imperium revertuntur: licet ibidem quàm plurimi etiam Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ſucceſſionis jure, Fœminis obtingant. *Arniſæ. 2. c. 2. ſect. 12. n. 33. &c. f. 369.* ut in Cliviâ ac Juliacenſi Ducatu, nuper eſt factum. *v. Knichen. l. d. veſtitur: cap. 10. num. 8. & ſeqq.* (4) Ubi admittuntur Fœminæ ad Succeſſionem poſt mortem earum quomodo proſpiciendum eſt Marito, vel Regno cõtra Maritos? qui ſe difficulter, etiam poſt ſterile conjugium, à Regno abigi patiuntur. *Arniſæ. 2. c. 2. ſect. 12. n. 164. fol. 437.*

52. A ſucceſſione Regali, Fœminæ ſi removeantur: regulariter itidem maſculi ex fœminâ deſcendentes, excluſi cenſentur. *Joan. del Caſtillo, controverſ. quotidian. cap. 2. & 4. Dn. Præſes. Diſp. Nomicopolit. lib. 1. diſſert. 12. n. 1. &c.*

53. Ad Regiam Succeſſionem, licet ex Lege Regni ſpeciali, Mulieres, idoneæ reputentur: Maſculo tamen filio exiſtente, ſuccedere fœmina nequit, etiamſi eo ætate ſit major. *cap. 1. §. Filia. tit. 8. lib. 1. Feud. Tiraquell. de primogenitura. Ludov. Molin. Diſp. 625.* Quoniam maſculus, regimini ac Juriſdictioni exercendę, aptior exiſtit: & quoniam in Maſculo, cognatio & familia conſervatur. Et pariter ideò, neque primogenii ante parentem mortui fœminea proles, repulſo Patruo ſuccedit. *Tiraquell. d. primog. quæſt. 14.*

Ex hoc decido quæſtionem: Mater in re certâ inſtituit filiam, duos filios univerſales fecit heredes; & filio, quicunque ſine liberis moriatur, ſubſtituit ſuperſtitem. filius unus decedit, filiâ relictâ. Quæritur an illa fideicommiſſum excludat? Quod rectè Manzollius negat. *in conſil. hâc de re ſingulari.*

54. Ubi verò Fœminæ, capaces ſunt Regiæ Succeſſionis, etiam Agnatis ex latere, Filiæ præferuntur. *Cabotius. 1. cap. 20. & ſeqq.*

Quod juri Divino consentaneum esse dicit Molina, *Disput. 625. folio 183. & seqq. multis, sed Althus. dissentit. pol. 19. n. 78.*

In Regnis Fœminam semel exclusam, haut perpetuò exclusam censeri; expeditum esse videtur. At quid in feudo? *vid. Arumæ. Disput. feud. 6. thes. 13. Ilicon. Vmmium, amicum meum honorandum, Disput. proceff. 18. in corollar. Rudinger. quæst. feud. 4. libr. 1. Heigium. part. 1. quæst. 26.* Non puto eam semper remotam manere, sed tantùm masculi quamdiu supersunt. Hæc etenim est natura Feudi, ut qualem conditionem semel acquisivit, eam non amittat. (hincque est axioma Feudistarum immotum; in Feudalibus controversiis semper recurrendum esse ad primam investituram. Hinc semper cùm moritur Dominus vel vasallus; Investitura eodem in tenore quo concepta fuit prima, renovatur) At in proposito casu, hanc semel conditionem qualitatemque adeptum est Feudum; ut primi Investiti descendentes, Masculi & Fœminæ, illud habere possint. E. illa qualitas semper inerit Feudo, nec per successionem masculi mutabitur: aliàs enim (quod absonum esse videtur) detrahendum aliquid foret primæ investituræ. Porrò pro nostrâ sententiâ est textus, *in tit. 17. lib. 2. F.* Ex quo (non ex tit. *6. lib. 1. F.* qui argumento rubricæ, de Ecclesiastico forsan capi potest Feudo) hujus quæstionis decisio est sumenda. Quia inibi ex professo, nõ incidenter vel impertinenter *(ut in d. tit. 6.)* hæc quæstio, prolixeque tractatur. (II) Quia in d. t. 17. habetur; sapientes sæpiùs disputasse, an hoc in casu simul cum masculo fœmina debeat admitti: non ait ibi Feudista, quosdam Fœminam in totum excludere voluisse.

55. Primogenituræ Jus, ad fœminas quoque extendum est omninò. Unde primogenitæ Filiam, dicerem Materterâ potiorem. Ut & primogenitæ gnatam, secundo genitæ filio præferrem. Regulariter quippè ex fœmina descendentes, non melioris conditionis ipsâ matre æstimantur. *Dn. Præses. Disput. Nomicopol. lib. 1. dissert. 12. num. 11. &c.*

Vicissim Filia Masculi, non exhibere potest Jus masculinum. Haud namque patitur Jus Naturæ, nec Juris rationes; ut quæ verè fœmina esset, repræsentationis jure, pro viro habeatur. Quod objectum fuit Catharinæ Bragantiæ Ducissæ, in negotio Lusitanicæ successionis: cùm Eduardi Patris loco succedere vellet. *Cacheran. consil. in causs. Lusitan. numer. 19. Michaël ab Aguirre. part. 2. sub. num. 218.*

(2) Ex-

(2) Ergò ſi ultimus Regni ad Fœminas tranſitorii poſſeſſor, moriatur; tum ad proximum, ex eodem ſtipite deſcendentem (vel maſculum vel fœminam) ſucceſſio ſpectat. *vid. Buchanan. hiſtor. Scot. libr. 8. à princip.* habitâ tamen ratione ordinis Linearum: ut ſuprà *theſ. 31. & ſeq.* eſt dictum. Hûc pertinet controverſia Succeſſionis Portugallenſis: de quâ ſuccinctè Coneſtagius agit. *lib. 3. uſque ad fol. 114. 118. 119. 128.* De eâdem, jure tamen repræſentationis rejecto, diſſerit Molina. *Diſput. 632.* Sed tamen pro Philippo cùm primis hoc urgebatur, quòd ſucceſſor ſit Eliſabethæ, Emanuelis filiæ primò natæ. *Raudenſ. folio 280. b.*

56. Regni Succeſſiõ, ut eò magis integra ſervari queat, pactiones de invicem ſuccedendo, in caſu deficientium legitimorum heredum, inventæ; noviſque ſic gentium moribus, tertium genus prodiit heredum, conventionalium ſeu pactionalium nempè: veteribus Jureconſultis quod incognitum erat. *Gail. 2. obſervation. 127. Ubi Grævæus. vid. Dn. Doct. Bocer. 2. d. ſucceſſ. Feud. quæſt. 2. & 3. Vincent. Cabot. 2. cap. 12. Heigium part. 1. quæſti. 23. Anton. Coler. theſ. 70. Arniſæ. 2. cap. 2. ſection. 7. numer. 54. &c. folio 249. &c. Gentilitia* ſeu familiarum vocant *pacta & ſtatuta.* **Erbverbündtnus / Erbeinigung**: & paciſcentes **Erbvereinigte / Erbverbrüderte** / à Germanis indigitantur. Et talis Confraternitas inter Brandenburgenſes, Pomeraniç & Megapolitanos, Saxoniç item & Haſſiæ Principes exiſtit; ac ejus rei exempla alia, quæ partim in Germania, partim in Galliis, aliqua etiam in Italia contigerunt, recenſet Hotoman. *conſil. 32. num. 37.*

Quæri hic poteſt: an & quatenus licita ſint talia pacta? Pacta univerſalia de mutuis Succeſſionibus, inter familias illuſtres, omnimodaque Juriſdictione decoratas, Germaniæ & aliarum provinciarum conſuetudine approbata eſſe, & de Jure quoque communi ſuſtineri. Pacta verò ejuſmodi inter certas perſonas, etiamſi Principes ſint (niſi ſuperiorem non recognoſcant) haut defendi poſſe, Nicol. Berſius ſcribit. *d. pact. fam. cap. 5. fol. 127.* (Rationem, cur pactis non detur hereditas, vid. apud Caſp. Schifordegherum, *part. 1. tractat. 29. per tot.* & Reiner. Bachovium, *miſcell. cap. 13.*) (2) In Feudis conſenſum requiri ſuperioris, eſt expeditum: & probat id illuſtri exemplo Henel. in Sileſiographia, *cap. 6. fol. 69.* In allodialibus hoc

non æquè necessarium videtur: cùm vigore omnigenæ Jurisdictionis subsistant. *vid. Dn. Præs. Disput. Nomicopolit. lib. 1. cap. 13. num. 6. &c.* (3) Ut autem firmiora sint ejusmodi pacta; & ne res tali pactioni subjecta, alienari queat, utile est pro observatione hujus conventionis, si hypotheca accedat. *Anton. Gabriel. Roman. in commun. opinion tit. de pignorib. conclus. 1. lib. 3.* An autem sufficit hypotheca generalis? *vid. Cævallos. tom. 3. quæst. 756.*

57. In causis Regnorum, vix est ut Regulæ Juris privati allegari queant. *Conestag. 3. fol. 152. 153. 157. Börtius d. nat. Jur. Majest. cap. 4. §. 12. ad fin. vid. omninò Anton. Color. §. 63.* Rectissime ii Reges facere videntur; qui omnium quorum interest consensu, de Regni Successione, apertam prudentemque procurant Legislationem. Qualis est in Suecia *Unio Hereditaria* dicta. *Chytræ. Chron. Sax. fol. m. 407.* Et ita etiam in Castellæ Regno, certa Lex successoria existit. *Lud. Molin. d. major. tr. 2. Disput. 626. n. 12.* in Lusitaniâ fuit *Lex Mentalis*.

De Juduce, controversia est ferè major. An Rex vivus in præjudicium Successorum, si jus sit intricatum, eam litem definire possit, in Lusitaniâ disputabatur. *vid. Conestag. ubi fol. 120. 132. 133. habentur dissertationes de Successore ordinando. fol. 135 136. ubi vid. dissertationem de Successore. f. 143. vid. actionem de Successione. f. 144. &c. vid. hâc de re disputationes. & adi etiam suprà hâc Disput. thes. 29.* (2) Inter Vasallos si exoriatur quæstio Feudalis, ab Imperatore ea definitur. Unde ad Cameram non pertinent causæ, concernentes majora Imperii Feuda: *Grævæ. lib. 1. conclus. 29.* nisi de possessione saltem agatur; si Thomæ Michaëli est credendum. Verùm nec Imperatorem, nisi adscitis in consilium aliis Imperii Principibus, de lite majorum Beneficiorum cognoscere posse; multi dicunt: vigore Juris cujusdam vetusti, quod Fürstenrecht / denominatur. *de quo Dn. Præs. Disput. Nomicopol. libr. 1. ad fin. ad de Knichen d. jure Territor. c. 6. à pr. Dn. Anton. Winter. in Assessor. part. 1. cap. 4. nu. 61. Arnold.* Engelbrecht / *Disput. d. Iurisd. Imperii. thes. 117. &c. Ant. Coler. Disp. d. Iure Imp. Germ. thes. 23. & seq.*

58. In Regno Legitimo, Regalis si stirps extinguatur; potestas ad Populum revertitur: & libera est Ordinum Regni potestas, quem velint eligere sibi Regem, aut etiam possunt, si ipsis ita fuerit visum, Reipublicæ immutare formam. *Cabotius. 1. Disput. c. 10. ad fin.*

Cone-

Coneſtag. fol. 157. haud ſecus ac Feudum apertum ad Dominum liberè redit.

Hâc ratione Cacheranus, Amadæus à Ponte, & alii, in Luſitanicâ qui cauſsâ pro Sabaudo conſuluerunt; Ordinibus Luſitanis facultatem Succeſſoris nominandi adſcribunt: & cur Sabaudus, præ omnibus aliis eligi debeat, multas cumulant rationes. (1) Quoque tum ad Ordines vel Populum, Imperium redit; cùm Fœminæ ex Lege repelluntur. Quamvis alicubi maſculis extantibus, Fœmina admittatur ex pacto. Et in Moſcoviâ nuper, novo exemplo, Regiæ Sorori firmare Imperium, voluit Boris. *Mercure Franc. f. 33. b.*

59. Approbatio & confirmatio, cum Electione non eſt confundenda. *Arniſæ. 2. cap. 2. ſect. 4. n. 54. &c. fol.* 144. *&c.* Et poteſt Succeſſorius Princeps vocari, in ſolium collocari, votoque & ſcitu Populi accipere Regnum: ut in Galliis olim factitatum fuit. Lehman/ in der Speyriſchen Chronick. 2. *cap.* 3. Nec enim ſemper jus Imperii, ſuâ naturâ ad heredes Regis tranſit. *Althuſ.* 19. *nu.* 90. *&c.* Et illa Electio heredis, eſt quaſi repetitio illarum conditionum, quibus intervenientibus, Imperium primùm Regi traditum fuit. *ut Althuſ. d. c.* 19. *n.* 93. *innuit rectè.*

Inaugurationis rituſque Coronationis, apud varias gentes varius fuit. *Alex. ab Alex. 1. genial. cap.* 28. *Althuſ.* 19. *n.* 94. 96. De Imperatoribus Romanis, conſule Jul. Cæſ. Bulengerum. 2. *d. Principe Rom. cap.* 2. De more, in Imperio Romano-Germanico recepto, multa habet, in Politicis Imperialibus *tam Lat. quàm German.* Goldaſtus. Etiam Reginæ coronantur. *Goldaſt. d. loc. part.* 4. (2) Ab hoc que tempore initiationis, anni computari numerarique ſolent. *Althuſ.* 19. *num.* 95. (3) Num verò ad Principis Romani conſtitutionem, Pontificis maxumi Inauguratio ſive Coronatio neceſſaria ſit? quæſtio eſt dura & ſubtilis, de quâ tractat Goldaſt. *in Politic. Imperal. fol.* 296. *& multis ſeqq.* Arithmæus, *Diſputat.* 3. *d. Affinit. in coroll. in Pericul. ſecund.* & Dn. Præſes non uno loco.

60. Porrò, ſummis an Principibus, eorum ante exceſſum, futurus deſignari poſſit & debeat Succeſſor? quæſtio eſt vetus; de eaque differunt Politici in utramque partem. *vid. Dn. Præſid. Diſpp. Nomicopolit. libr.* 3. *diſſert.* 3 *per tot. Addatur Lancellott. Conrad. in Templ. Judic.* 1. *cap.* 1. *§.* 1. *fol.* 49. *Goldaſt. in Polit. Imperial. Latin.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [215] - 209

fol. 220. usque 274. & in Germ. part. 2. per tot. Brunning. Disput. d. Universitat. θ. 11. Et quidem si Filius adsit Regni heres, nihil in dubio positum esse videtur. Sicque contra morem apud Persas receptum, Artaxerxes Darium filium, per indulgentiam vivus constituit Regem: nihil sibi, ut Justinus *libr. 10.* scribit, ablatum existimans, quod in filium contulisset; sinceriusque gaudium ex procreatione se capturum, si insignia Majestatis suæ, vivus in filio conspexisset. *vid. omninò Parnassum Boccalini. 1. cap. 56.*

Vivo etiam Patre, Primogenitus Regis, Rex appellari potest: nec illam appellationem Pater Filio primogenito invidet: quem tamen titulum, proximiori non concederet agnato. *Gothofr. 6. d. Tutel. Electoral. replic. 40. f. 287.* Et refert Molina, *tr. 2. Disput. 626. fol. m. 210.* Regis filios, quondam in Hispaniis Reges nuncupatos: postea verò Infantes nominatos fuisse. Primogenitumque, qui in Regem vivente Patre juratur, *Infante jurado* olim nuncupatum, hodie *Principe jurado* indigitari. At verò juramentum illud subditorum, acceptionemque in Regnum, utique nullum jus Filio conferre, intuitu Patris adhuc vivi. (2) At num habet Pater qui est Rex, in liberos jurisdictionem? Sanè Guil. Nassovius, Auriaci Princeps, *in Apologiâ suâ*, Philippum 2. Hispaniarum Regem incusat; quòd unicum, tot Regnorum heredem Carolum filium, paucorum Inquisitorum judicio capitali submiserit: cùm ad Regni Ordines id spectaret. De Nobile quòd non sit Dominus superior Liberorum, vid. Modest. Pistor. *part. 4. quæst. 169.*

61. In Electivo verò Regno, tam Principi, quàm Ordinibus, summa hîc cautio est adhibenda. His quidem, hâc ne occasione suffragiorum jus amittant: Illi verò providere incumbit; ne ipsum pæniteat aliquando, intempestivæ hujus Electionis. *vid. l. inter. 83. §. 5. vers. sed hæc dissimilia. d. Verb. Oblig. Scip. Amirato. 1. cap. 2. Arnisæ. 2. relect. cap. 2. sect. 4. num. 90. &c. fol. 165. & num. 99. &c. folio 172.*

De jure destinati Successoris, seu Regis (ut nunc loquimur) Romani; vid. Syllogen Joach. Cluten. *thes. 23. Anton. Coler. Disput. de Iure Imper. Germ. thes. 8. & seqq.* (2) Electi verò Principes, commendare quidem Regni Candidatos possunt; sed illa commendatio nullam necessitatem habet: *vid. Coler. d. thes. 8.* & propterea perperam Clapmarius

marius, *l. d. Arcan. cap. 14.* eam retulit inter jura Majestatis. Solet tamen Populus in gratiam quandoque Principum sibi carorum, remittere quid, & judicium atque pacta de Successoribus rata habere. *Börtius, d. natur. Iur. Majest. cap. 2. thes. 5. Althus. pol. cap. 19. num. 75.* Sicque Adrianus, non solum Antoninum sibi adoptavit; sed & addidit conditionem, ut ipse sibi Marcum & Verum Antoninos, adoptaret. *Spartian. in Vero. & Capitol. in Marc. Anton.* Non tamen approbare possum, quod Imperium Romanum post Augustum, hereditarium fuisse, nonnulli dicunt: quibus etiam adstipulari videtur Arnisæ. *2. cap. 2. sect. 4. num. 50. &c. fol. 141. de quâ re Börtius d. loco videri potest.*

62. Principatus Electivus, Interregnum: Successorius non nunquàm Tutelam habet. Interregnum autem, in Anarchiam ne transeat, vel Reipublicæ forma ne mutetur; cautiones quædam sunt observandæ: quas habet Arnisæus. *2. cap. 2. sect. 4. num. 85. fol. 162. &c.* Et etiam tum incidere potest Interregnum, cùm Successio est incerta, vel controversa. *vid. Conestag. fol. 134. & 137. qui item fol. 148. de erroribus Henrici ultimi Portugalliæ Regis, hâc in parte commissis agit.*

De Interregno Romanorum, *vid. Alex. ab Alex. 5. genial. cap. 5.* In Romano Germanico Imperio, Vicarius est Palatinus, atque Saxo. Verùm de jure Palatini Electoris vid. den kurtzen Bericht / von der Churfürstl. Pfaltz zustehendem Vicariat. Cui se opponit anonymus quidam ex Bavari Aulâ, im Gegenbedencken: qui tamen nuper repulsus fuit in der Rettung deß Pfältzischen Vicariats. Adde Goldasti Polit. Imperialia. *part. 7. per tot.* (2) Caroli 4. tempore Princeps Wenceslaus, Caroli frater, pro Vicario in Germaniâ constitutus fuit, vivente Imperatore. Franckforter *Priviligia. fol. 158.* Qui etiam Francofortensium Immunitates confirmavit. *ibid. fol. 159.*

63. Nunc & de Tutelâ Regiâ aliquid est adspergendum. *vid. Dn. Præs. Disput. Nomicopolit. 3. dissert. ult.* Cum primis autem de eo dubitari potest: An eâ Lege, quâ fœminæ excluduntur à Regni Successione; eæ etiam remotæ censeantur à Regni procuratione, Filiorumque adhuc dum minorennium Tutelâ? Quod frequentiùs negatur: cùm alia sit ratio Successionis, alia Procurationis Regni. *Contra Hotoman. in Franco-Gall. cap. 26. Vincent. Cabotius. 1. Disput. c. 18. vid. Thuanum. libr. 23. fol. 470.*

Sic


Sic Matri Ludovici 13. Gallicarum Regis, Regnum datum fuit. *Servin. tom. 4. plaidoy. 1.* Illud est expeditum : Si mater extra Regnum proficiſci velit, quòd tunc non habeat Tutelam Liberorum; ut nuper Viduæ Mantuanæ, objecit Gonzaga Cardinalis. (2) De variis Gentium moribus circa Tutelæ conſtitutionem, vid. Fr. de Caldas. *ad l. ſi curatorem. verb. hunc contractum. num. 45. C. d. in integr. reſtit. minor.* (3) Infantes Reges, non reſtitui; ex Bodino refert, Hilligerus: *21. cap. 11. lit. c.* quod mihi placere non poteſt.

64. At in Electorali dignitate, quæ individua eſt, ſoliqúe Primogenito competit; haut alii neceſſariò, quàm ſoli proximiori, Tutela & adminiſtratio adſcribitur vulgò : & inibi à Succeſsione ſummotus, neceſſariâ quoque conſequentiâ, à Tutelâ ſubmotus reputatur. *Andr. Knichen. d. Sax. non provocand. jur. ad verba: Electorum. cap. 4. per tot.* Quibus addi poſſunt, quæ in cauſsâ Adminiſtrationis Palatinatus, non ita pridem edita fuerunt ſcripta varia: quæ tamen magnâ ex parte, non generalem hanc quæſtionem, ſed in ſpecie Palatinatum concernunt.

FINIS.

Nil Chriſto triſte recepto.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [218] - 212




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [219] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [220] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [221] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [222] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [223] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [224] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 1, [225] - -
PUBLIC DOMAIN